This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

DISPVTATIO
APOLOGETICA,
DE IVRE REGNI
Hiberniæ pro Catholicis Hibernis aduersus hæreticos Anglos.

AVTHORE C. M. HIBERNO

(Constantine O'Mahony)

Artium, & Sacræ Theologiæ Magistro.

Accessit eiusdem authoris ad eosdem Catholicos exhortatio.

FRANCOFVRTI Superiorum permìssu typis
BERNARDI GOVRANI.

Anno Domini 1645.

CATHOLICIS HIBERNIS vtriusque ordinis Ecclesiastici, et sæcularis. C. M. temporalem, et æternam felicitatem optat, et precatur.

P*ATRIÆ adiuuandæ zelo, et amicorum precibus commotus hanc de Iure Regni nostri Apologiam, et Exhortationem scripsi, et vobis omnibus* (qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo) *dedicare volui, vt virtute, et fortitudine, qua Regnum nostrum hæreticis, magna ex parte, eripuistis, et in Catholicam libertatem asseruistis, eadem ius á me illius in hoc opusculo explicatum contra eosdem hæreticos, eorumque fautores defendatis, et doctrinam Exhortationis executioni mandetis. Omnes enim tenemur iure diuino, humano, et naturali Religionem Catholicam, et patriam dilectam defendere, pro qualitate, et possibilitate vnius cuiusque; alij enim armis, alij literis, alij pecunijs, personis, et comeatibus auxilium conferre debent, vt præclarissimum opus libertatis nostræ incæptum ad optatum finem perducatur; ad quod perficiendum*

non

non parum iuuare poterit scientia iustitiæ causæ, quam defendimus: vt nostri Catholici Duces, et milites pro iustitia, et veritate causæ nostræ animosé pugnare non dubitent; nam iustitia causæ confert, iniustitia vero auffert bellicam virtutem, vt clarè, et præclaré Propertius Poeta Ethnicus lumine solùm naturali ductus cecinit.

Frangit, et attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

CATHOLICIS LECTORIBVS ANTELOQVIVM.

PAGANI veræ lucis sydere nondum eis oriente, in tenebris, & in vmbra mortis miserabiliter ambulant: Iudæi velamine super cor permanente, adhuc cæcutiunt: hæretici errore deuio abducente, delirant: non nulli Catholici, charitate frigescente in mundanis cordibus ab exercitio boni operis, & studiositatis torpent ignorantes ius regni sui ab alienigenis hæreticis jam diu vsurpatum, non sine patriæ dedecore, Religionis Catholicæ damno, & iniuria Dei. Quam ob causam, hanc institui disputationem, vt aliquos Catholicos Hibernos docerem verum Regni nostri ius, quod scio, a multis ignorari, & ab alijs ob aliquod temporale, & fragile commodum, non defendi, vt par erat: & vt refutarem aliquos hæreticos Anglos, qui maiori verborum exaggeratione, quam rationum pondere illud impugnare, & expugnare contendunt, etsi veritatis lumine obruti non valeant, nec in posterum valebunt. Tandem vt veritatem, iustitiamque nostram ab ipsorum impugnationibus, claré vindicarem. Quod si recté præstitero, non parum puto me Hibernis meis inseruire: sin minus, voluntas pro facto reputari debet, donec

alij doctiores (quibus fortassé maius otium est) incæptum a me negotium vberius, eruditiusque perficiant. Interim ego hoc illis opusculum offero, ac defero. Stylus erit clarus, & Scholasticus, quem aptiorem Rethorico floribus ornato, ad assensum intellectus alliciendum, aduersariorum argumenta diluenda, & ad ea, quæ dicimus, percipienda, existimamus. Si veró aliqui molesté ferant quæ hic dicimus, vel scandalum immerito patiantur, illis opponimus illud Sancti Augustini delibero arbitrio. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam vt veritas relinquatur.* Quod maxime verum est, quando quis ius suum, vel suorum defendit contra iniustos aggressores vim vi repellendo, vt omnes leges, omniaque iura permittunt. Præter quam quod: *Nulli facit iniuriam, qui vtitur iure suo.* Nec Angli mirari debent quod ego Catholicus Hibernus pro iure Catholicorum Hibernorum contra iniuriam hæreticorum Anglorum pugnem, cum multi etiam Angli orthodoxi scriptores in Anglos sectarios acriter inuehantur eorum mores repræhendendo, errores arguendo & hæreses refutando. Videri possunt multi scriptores Angli, quos refert concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, & plures, quos recenset Philippus Alegambis in Biblioteca scriptorum Societatis IESV. Omitto multos alios auctores Italos, Germanos, Gallos, Hispanos, Lusitanos, Hibernos, Scotos, & alios aliarum nationum, qui doctissime scripserunt contra hæreses, & errores Anglorum, post eorum defectionem à Fide Catholica, Apostolica, & Romana.

Supposi-

Suppositio admitenda inter Hibernos, et Anglos.

1. HIbernia Insula olim florentissima, & Regnum satis opulentum cæpit ab hominibus habitari anno post generale diluuium trecentesimo. Primi eius habitatores fuerunt Bartolanus, Seræ filius, de stirpe Iaphet filij Noè, & filij eius tres Languinus, Salanus, et Returugus cum eorum vxoribus, et paucis alijs socijs, qui casu, vel industria Hiberniæ litoribus appulerunt. Hi non mediocriter tam in rerum successibus, quam in successionibus prosperari cæperunt. Nam ab eorum aduentu vsque ad 300. annos, ad nouem iam millia virorum successionis suæ traditur numerus excreuisse. Tandem gens ista in bello magno, quod cum Gigantibus gessit, magnam obtinuit victoriam, et stragem edidit hostium. Sed subita pestilentia, ex aeris forte corruptione de interemptorum Gigantum cadaueribus exorta, omnem deleuit generationem, vno, vel altero homine relicto. Prefato ergo Bartolano cum omni successione sua acerbæ pestilentiæ mucrone sublato, aliquandiu terra nudata cultore remansit.

Nemedus tamen Agnominij filius, natione scythicus, cum quatuor filijs, Stario, Gerbale, Annino, et Fergusio, ad desolatæ terræ litora deuectus est anno ab orbe condito 2317. Huius Nemedi, et filiorum, nepotum, abnepotumque successio generis numerositate in tantum creuit vt totam fere infulam impleuissent. At frequentibus bellis, quæ cum Gigantibus

tibus tunc temporis in insula commorantibus gesserant, varijsque incommodis; & infortunijs, maxima eorum pars deleta est. Pars vero residua incommoda declinans, partim Scythiam, partim Greciam nauigio petierunt. Ducentis ergo, & quindecim annis Nemedi generatio Hiberniam tenuit, & ducentis post modum vacua fuit.

Tandem quinque viri clarissimi, Gandius, Genandius, Sagandus, Rutheragus, & Slanius germani fratres filij Delæ de predicta Nemedi posteritate, in Hiberniam anno mundi *2535*. venerunt, eamque fere vacuam inuenientes, in quinque Prouincias diuiserunt, vnus quisque suam accipiens partem. Quinque isti fratres in nouis possessionibus concordissime aliquibus annis vixerunt. At postquam multiplicati, & corroborati sunt, cæca ambitione ducti cæperunt inter se digladiari, atque in hac dimicatione, cæteris partim fugatis, partim extinctis, Slanius natu minimus, victoria maximus euasit, totiusque Hiberniæ potitus est imperio: vnde primus illius terræ Rex nominatur. Ex his fratribus, & eorum successione nouem Reges successerunt, qui breui tempore, triginta scilicet annis regnarunt. Slanius in monte quodam apud Mediam tumulatus est, qui ab eius nomine nomen accepit, mons Slani. Deleta ergo magna exparte, & debilitata est natio ista, cum varijs inter se conflictibus, tum maxime eo bello, quod cum alia quadam Nemedi posteritate, quæ de partibus Scythiæ superuenerat, graui cum dispendio gesserat

Denique nobilissimi quinque viri fratres, & Milesij Regis filij in sexaginta nauium classe de Hispaniæ partibus in Hiberniam venerunt anno ab orbe condito,

dito, et ante Christum natum 3342. et 4987. vsque adhunc annum, post Christum natum 1645. quo hæc scribo (qui etiam est annus creationis mundi 5594. Iuxta supputationem plurimorum) qui statim totam insulam, nullo resistente, sibi vendicarunt. Procedente vero tempore, duo istorum nominatissimi, Hiberus scilicet, et Herimon in duas partes æquales inter se diuiserunt. Herimoni cessit pars australis, Hibero aquilonaris. Et cum aliquandiu satis prospere conregnassent (quoniam nulla fides Regni Socijs, omnisque protestas impatiens consortis esse comuniter solet) cæca malorum mater ambitio paulatim fraterna fædera disjungens, et discordia cuncta perturbauit. Post varios igitur fratrum conflictus, et ambiguos bellorum euentus, tandem Herimoni cessit victoria, et in bello quodam, interfecto Hibero, totum Regnum solus obtinuit Herimon, qui proinde primus ex hac gente Monarcha, vel Archio Rex fuit, et eius posteritas in hunc vsq; anuu, et diem, quo hæc scribo in Hibernia perseuerat. Quæ insula habuit 131 Reges Monarchas Hibernos vsque ad S. Patricium huius terræ Apostolum, qui anno post Christum natum 431. missus à Celestino Primo Summo, et Romano Pontifice in Hiberniam venit vbi paucos Christianos inueniens, reliquos omnes incolas orthodoxos fecit, Christoq; recociliauit. Postea Hibernia, de eàdem gente, et generatione Milesij habuit 50. alios Reges etiam Monarchas, ommissis Regulis prouinciaru, qui plures fuerut. Qui omnes Reges Magni fuerunt 181. quibus si addas nouem supra de familia Delæ, et 21. Reges Angliæ, omnino sunt 211. quamuis vltimi 21. Reges Angliæ intrussi, et tyranni, et non veri, ac legitimi reputari debent, vt.

in hac

in hac disputatione demonstrabitur.

Hæc breuis narratio, et suppositio colligitur non solum ex perpetua Hibernorum traditione, sed etiam ex Anglis, et Hibernis historicis; ex quibus videri possunt Syluester Giraldus Cambrensis in Appendice rerum Hibernicarum capite 12. et sequentibus, Ricardus Stanihurstus libro 1. de rebus in Hibernia gestis. D. Philippus Sulleuanus in Compendio historiæ Catholicæ Hiberniæ tomo 1. libro 3. cap. 1. Et in Decade Patriciana lib. 1. cap. 2. Gulielmus Camdenus in sua Britania, et descriptione Hiberniæ. Dominus Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, totiusque Hiberniæ Primas in Commentario de Regno Hiberniæ Sanctorum Insula capite 1. et alij multi.

Hic tamen aduerto supra dictos auctores, et alios non semper conuenire tam in nominibus eorum, qui Hiberniam occuparunt, quam in annorum numero, et non nullis alijs circunstantijs. Nos certé quod verisimilius visum est in tanta confusione, et antiquitatis caligine scripsimus parati vt ab alijs doceamur, si forte in aliquo, præter intentionem, errauerimus. Omnia etiam scripta, et dicta nostra sub censura, et correctione Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ semper subiicimus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Actio, prætensum Jus et argumenta aduersariorum proponuntur.

2. ANgli aliqui, præsertim hæretici, et eorum fautores, ea, qua solent, perfidia, et pertinacia negare multas fidei diuinæ veritates, et affirmare non pauca, et manifesta mendacia contra dogmata diuinitus reuelata; ita similiter non verentur inficiari plures veritates humanas, et oppositas, falsasque astruere propositiones, inter quas statuunt vnam, et celebrem, nempe ius, totaleque dominium Regni Hiberniæ ad Reges Angliæ pertineré, ab anno Christi Domini millessimo, centessimo septuagessimo secundo vsque ad præsentem annum 1645. in quo hæc scribo: et nos Hibernos esse homines barbaros, et bestiales, perditos, et profligatos, rebelles, perduelles, et perduellionis Reos, dum hoc regale ius negamus, vel consilijs armis, aut artibus impugnamus. His, et alijs contumelijs, et iniurijs nos afficiunt. Ceterum eos patienter nunc oportet audire, ne indicta causa homines condemnare videamur. Ipsi tamen postea, velint, nolint, nos verius loquentes audient, vt sciant quòd, *Qui quæ vult dicit, quæ non vult audit.*

3. Obiiciunt ergo primo sic. Hericus Secundus Angliæ Rex iusto bello occupauit Hiberniam; ergo ipse, et eius successores Reges iure illam retinent,

nent, et omne ius, et dominium ad illam, et in illa habent.

4. Obiiciunt secundo. Præfatus Rex obtinuit Apostolicum indultum Adriani Quarti Summi Pontificis, quo illum constituit Hiberniæ dominum anno Domini 1156. vt patet ex ipso indulto, quod referunt de verbo ad verbum aliqui scriptores Angli, et Hiberni, vt Mathæus Paris Anglus in historia Anglica, pagina 91. in editione Tigurina anno 1589. Dominus Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, totiusque Hiberniæ Primas in Commentario eiusdem Regni cap. 17. pagina 245. D. Philippus Sulleuanus tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ lib. 1. cap. 4. pagina 59. et alij, et est quod sequitur.

Adrianus Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio illustri Anglorum Regi salutem, et Apostolicam benedictionem.

5. *LAudabilitèr, et fructuosè de glorioso nomine propagando in terris, et æternæ felicitatis premio cumulando in cælis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declarandam in doctis, et rudibus populis Christianæ Fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps intendis: ita ad id conuenientius exequendum, consi-*

consilium nostrum exigis, et favorem; vnde quanto altiori concilio, et maiori discretioni procedis, tanto in eò faciliorē progressum te. præstante Domino, confidimus habiturum, eoquod ad bonum exitum semper, et finem soleant attingere quæ de ardore fidei, et Religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam, et omnes Insulas, quibus sol iustitiæ Christus illuxit, et quæ documenta Christianæ fidei ceperant, ad ius Beati Petri, et Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod tua etiam nobilitas recognoscit, non est dubium pertinêre; vnde tanto in eis libentius plantationem fidelem, et regimen gratum Deo inserimus, quantum id á nobis interno examine districtius prospicimus exigendum. Significasti quidem, Fili charissime in Christo, te Hiberniæ insulam adsubdendum illum populum legibus, et vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, et desingulis eius domibus annuam vniús denarij Beato Petro soluere pensionem, et iura Eoclesiarum illiùs terræ, illibata, et integra conseruare. Nos itaq, pium, et laudabile desiderium tuum eum fauore congruo prosequentes, et petitioni tuæ begninum impendentes assensum, gratum, et acceptum habemus, vt pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, pro Christianæ religionis augmento, insulam illam ingrediaris, et quod ad honorem Dei, et salutem illius terræ spectauerit, exequaris, et illius terræ populus te honorifice recipiat, et ficut Dominum veneretur, iure nimirum Ecclesiæ illibato, et integro permanente, salua Beato Petro, et Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ desingulis domibus annua vnius denarij pensione; si ergo quod concepisti animo, effectu duxeris cōplendum, stude gentem illam bonis moribus informare, et agas, tam per te, quam per illos, quos adhibes quos fide verbo, et vita idoneos esse perspexeris, vt decoretur ibi Ecclesia, plantetur, et crescat fidei Christianæ religio, et quæ ad

 honorem

honorem Dei, et salutem pertinent animarum per te taliter ordinentur, vt a Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi merearis, et in terris gloriosum nomen valeas in sæculis obtinere. Datum Romæ anno salutis millessimo, centessimo quinquagessimo sexto.

6 Obiiciunt tertio. Supradictus Henricus fuit receptus, et conclamatus à tribus Regni ordinibus, hoc est ab Ecclesiasticis, nobilibus, et popularibus, ac perconsequens eius successores Regis Angliæ etiam heretici.

7 Obiiciunt quarto. Ipsi Reges Angliæ, qui multi fuerunt, vt statim ostendetur, tot annis præscripserunt in pacifica Hiberniæ possessione ab Herico illo secundo, et ab anno Christi 1172. vsque ad Carolum nunc regnantem, et vsque ad annum 1641. (in quo Catholici Hiberni pro fide Christi, et propria libertate tuenda ad arma conuolarunt) legitimi domini, et Reges fuerut, sunt, et futuri erunt. Et sane Reges illi sic numerari debent. *Henricus Secundus, Richardus Primus, Ioannes Primus, Henricus Tertius, Eduardus Primus, Eduardus Secundus, Eduardus Tertius, Richardus Secundus, Henricus Quartus, Henricus Quintus, Henricus Sextus, Eduardus Quartus, Eduardus Quintus, Richardus Tertius, Henricus Septimus, Henricus Octauus hæreticus, Eduardus Sextus hæreticus, Maria Catholica, Elizabeta Regina hæretica, Iacobus hæreticus, et Carolus Primus hæreticus.* Horum vitas, acta, et annos, in quibus nati sunt, et finierunt, regnare cæperunt, et desierunt, &c. Videat Studiosus Lector apud Polydorum Virgilium in historia Angliæ, et Georgium Lilium Britanum, seu Anglum, in Epitome Chronices Regum Anglorum, et alios historiographos, si placet:

placet: ad meum enim intentum nunc non pertinet de his rebus vlterius inuestigare.

Ecce præcipuæ aduersariorum obiectiones, quas cum ego considero, statim venit in mentem illud psalmi 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.* Tales enim obiectiones vere sunt fabulationes, vt infra ostendam respondendo ad singulas.

SECTIO SECVNDA.

Solvitur prima obiectio aduersariorum, et ius nostrum amplius declaratur, et probatur.

8. AD primam obiectionem, respondeo Henricum illum secundum non iusto, sed iniusto, et iniquissimo bello Hiberniam occupasse. Quod vt manifesté appareat, premittenda breuiter est vera huius occupationis historia, quam nec aduersarij negant, immó affirmant, et scribunt Angli, et Hiberni historici non pauci. Videri possunt Richardus Stanihurstus libro 2. de rebus ab Anglis in Hibernia gestis, pagina 59 et sequentibus: D. Philippus Sullcuanus tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ libro 1. cap. 3. et D. Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, et totius Hiberniæ Primas in Commentario Hiberniæ cap. 17. Guilielmus Neubrigensis libro 2. rerum Anglicarum cap. 26. et. libro 3. cap. 9. Gulelmus Camdenus in sua Britania pag.

pag. 685. in tertia editione: D. Syluester Giraldus Cambrensis, et alij.

9 Circa annum ergo humanæ salutis 1168. quinque Hiberniæ Prouincijs (quæ sunt Momonia, Lagenia, Conatia, Vltonia, et Media) quinque, vel plures Reguli præsidebant sub Roderico Conatiæ principe, totiusque Hiberniæ tunc temporis Rege Maximo, et Monarcha, et Regnum totum in otio, et pace degens, quietam, tranquillamque vitam incolæ ducebant. Ecce tibi vnus ex istis Regulis, nomine Dermysius Macmurchus, seu vt alij scribunt, Dermicius Murchardi filius, Lageniæ Rex, Roderici, vel Orruerki, Regis Mediæ vxorem, Malachiæ cuiusdam Dinaste (Omelachelen Hibernicè dicimus) filiam genere claram, forma pulchram, fortuna Reginam rapuit, rogatusque restituere noluit. Adfertur grauis Nuntius tanti mali ad absentem maritum, quo audito parum abfuit, quin præ tristitia, et dolore animam efflaret. At postquam dolor aliquantulum cessauit, et ira deferbuit, literas ad Rodericum supremum Hiberniæ Regem exarauit, in quibus criminis atrocitatem, et iniuriæ sibi factæ magnitudinem declarauit. Rodericus certior factus de patrato crimine, cum alijs magnatibus, et valido exercitu, Dermysium adoriri cæpit, cui hic resistere parans, cum subito à suis esset desertus, in Angliam fugit. Inde se contulit in Aquitaniam ad Henricum Secundum Angliæ Regem, eique exposuit se à comprouincialibus Regibus petitum, et oppressum bello, ad eius clementiam fugere, et in illius tutelam se tradere, et ius suæ Prouinciæ recuperandæ, et occupandæ in eum conferre. Quam oblationem Henricus libentissemé acceptans; (quia per eam videbat sibi

aperi-

aperiendum aditum ad Hiberniam occupandum: quod tam diu exoptabat, et expectabat:) et minime considerans iustitiam, yel potius iniustitiam causæ, dedit Dermysio ad omnes suo imperio subditos huiusmodi patentes literas.

Henricus Rex Angliæ, Dux Normandiæ et Aquitanie, et Comes Andegauiæ, vninersis fidelibus suis Anglis, Normanis, et Vvalensibus, et Scotis, cunctisque nationibus ditionis suæ subiectis, salutem.

10 *Cum Dermysius Lageniæ Princeps Regno suo iniquissime expulsus, nostrum auxilium implorarit: nos propterea quod illum in fidem, atq, amicitiam nostram accepimus, et prolixam erga nostram dignitatem amicissimi Regis voluntatem multis nominibus caram apud nos habeamus; omnibus qui in nostra ditione, ac potestate sunt, licentiam damus se in eius societatem libere offere, et ad illius iniurias vlciscendas, quibuscumq, armis potuerint, incumbere; quisquis huius Principis reductioni suum studium præstiterit, sciat illud, et nobis valde approbatum iri, et ipsi Dermysio pergratum fore.*

11 Has literas ad verbum referunt Richardus Stanihurstus lib. 2. de rebus in Hibernia gestis, pag. 66, et D. Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, et Primas Regni Hiberniæ in suo Commentario cap. 17. pagina 250. Et quamuis non adnotent annum, in quo scriptæ, et traditæ fuerunt Dermysio, nihilominus videtur fuisse eundem annum 1168. quo ipse fugit in Angliam, vt supra narrauimus.

12 In his tamen Regis Henrici literis tria continentur rationi, et iustitiæ, minimé consentanea. Primum est *Dermysium iniquissime Regno suo expulsum*

esse

esse. Quod falsum est, cum iste adulter iustissime fuerit expulsus quia vxorem alienam rapuit, et restituere noluit, vt dictum est. Secundum, Licentiam concessam ab Henrico omnibus suis subditis, vt Dermysium committentur, adiuuent, et auxilium dent in tam injusta causa. Tertium: hoc auxilium iniuste dandum approbatum iri à Rege Henrico.

13 Exul Dermysius, his literis ab Henrico acceptis in Angliam prospero vsus vento nauigauit.

(Utinam tunc, Regna Anglica classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis.)

Et in Ciuitatem Bristolensem se contulit, ibique præfatas literas, cum ipsius Dermysij liberalitatis premio in magno hominum conuentu recitare, exemplariaque in valuis, et columnis palam omnibus conspicienda defigere fecit. Quibus excitati primarij quidam viri operam suam, opemque omnem illi reducendo pollicentur et paciscuntur. Inde transiens in Cambriam, seu Vvaliam veterum Britanorum Prouinciam, vbi plures inuenit, qui se offerunt, certisque conditionibus similiter spondent se illi futuros auxiliatores, et socios. Quibus rebus lætus Dermysius, et accensus reuisendi patriam desiderio, in Hiberniam nauigauit tamquam priuatus, et incognitus, ibique perhyemem vnam inter paucos sibi fidos delituit donec ad condictum tempus sequenti vere ex Britania seu Anglia auxiliares copiæ, et cohortes venirent: quas cum aduenisse intellexisset, prodiens ex suis latebris, excepit illas, ea, qua potuit liberalitate, atque magnificentia. Tunc diuulgata fama, quod Dermysius cum innumeris Britanorum

seu

seu Anglorum copijs in suum redijsset regnum: Lageni plurimi sponte concurrerunt ad reducis sui Regis partes iuuandas; quibus et Britanis stipatus Dermysius Dublinam, Manapiam, et alias Ciuitates, et oppida obsidet, impugnat, et expugnat, vi et dolo et in Hibernos alios arma mouit, omnia depopulans, deuastans, et stragem edens. Cui Rex Rodericus cum alijs magnatibus, et valido exercitu (serius quam par erat) occurrit; et aliquot secundis prælijs Dermysij furorem extinxit, et impetum retardauit illumque coegit vt filium suum nomine Cornelium obsidem exhiberet: et statim inter vtrumque, Rodericum scilicet, et Dermysium fædus, et pactum initur, et mutua, et frequens mittitur legatio, in qua de pace agitur, honestissimis Dermysio conditionibus, quarum precipiua erat, vt ipsi permittatur pacificum, et integrum sui Lageniæ Regni dominium, quemadmodum antea habebat, et crimen raptus condonetur, modo velit a bello desistere.

14 Hæc cum agerentur, ecce Dermysius homo fideifragus, inquietus, et natus ad contentiones, et perturbationes, alió mouet arma, et Ossyriæ principatum inuadit. Deinde Tuomoniam petit arcetur tamen valide a Duuenalno Briene Tuomoniæ principe, inter quem, et Rodericum Regem (nescio quam ob causam) subito atrox oritur bellum. Quam occasionem ratam habens Dermysius suas vires cum Duuenalno coniunxit, vt Roderici frangeret potentiam, totiusque Hiberniæ potiretur imperio; cumque monitus, et sepe rogatus tum à Rege Roderico, tum ab alijs optimatibus, et amicis, vt ab incepto desisteret memor pacti, et fæderis, filijque obsidis, noluit. Quare Rodericus ira percitus Dermysij filio obsidi mortem intulit.

intulit. Postea continuatum est bellum inter Hibernos, et Anglos, quin immo inter ipsos Hibernos, quorum non pauci partes Dermysij et Anglorum acriter tuebantur.

15 Interea Dermysius Rex Lagenie plenus diebus, et vacuus bonis, ac meritorijs operibus, Farnasiæ diem clausit extremum anno 1171. De illius culpis et malis moribus multa legimus apud Authores nihil de ultima eius pænitentia, et satisfactione, quam Deo, et hominibus exhibére debuisset. Eius breue scribunt Elogium Richardus Stanihurstus lib. 2. de rebus in Hibernia gestis pag. 59. et sequentibus, et lib. 3. pag. 111. D. Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus in Commentario Regni Hiberniæ cap. 17. pag. 248. et sequentibus, D. Philippus Sulleuanus tomo 2. Historiæ Catholicæ, Hiberniæ lib. 1. cap. 3. et alij.

16 Hæc dum geruntur, Rex Angliæ Henricus Secundus cum ingenti classe et magno armatorum numero in Hiberniam venit, et Ciuitatem Vvaterfordensem appulit die 18. mensis Octobris anno Dni 1172. Vbi ab aliquibus Magnatibus Hibernis vrbaniter exceptus est, non vt Rex aut Dominus Hiberniæ, sed vt Præfectus, vel Commissarius à Summo Pontifice missus, et vt omnem litem inter Hibernos, et Anglos componeret, sicut fecit, et postea anno, sequenti in Angliam reuersus est. Ceterum Angli non solum terras, et possessiones à Rege Dermysio acceptas tueri, et pacifice possidere conati, et contenti sunt (vt illis præmittebatur) sed etiam in alias Hibernorum possessiones impetum sæpe fecerunt confluentibus ex Anglia indies auxiliaribus militibus. Quare bellum statim post Henrici discessum subortum est,

est, diuque durauit.

17 Ecce vera historia, ex qua habemus modum, quo Angli primò in Hiberniam ingressi sunt, et partem illius occuparunt, totumque Regnum semper optarunt. Nunc de iustitia causæ disputans, dico breuiter Anglos nullum ius, aut iustitiam in Hiberniæ inuasione, et occupatione habuisse. Primo, quia iniustam, turpemq; causam adulteri (qui alienos toros, violauit, alterius vxorem Réginam rapuit, et rogatus restituere noluit, aliaque crimina in Rempublicam commisit) defendendam susceperunt. Secundo quia non satis duxerunt expulsum in amissas sedes, et possessiones reponere, et præmium, seu stipendium ab ipso acceptum retinére, verum etiam alienas fortunas iniustissime inuadere non dubitarunt, nec rebus sacris pepercerunt: vnde falsum omnino est assumptum primæ obiectionis contendentis Henricum illum secundum Angliæ Regem iusto bello occupasse Hiberniam: ostendimus enim illud bellum fuisse iniquum, fundatunque in causa turpi, et omnino iniusta. Tertio quia omnes, qui damnum iniuste alijs inferunt aliquo ex nouem modis contentis in duobus vulgaribus versibus mox citandis, peccant, et ad restitutionem tenentur, vt Doctores communiter fatentur: sed Angli adiuuando expulsum Dermysium, grauissima damna intulerunt Hibernis tam in sacris, quam in prophanis rebus: ergo peccarunt, et restitutioni fuerunt obnoxij. Modi autem sunt isti.

Iussio, Consilium, consensus, Palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ita Doctores in materia de iustitia, et restitutione, vbi ponunt, et exponunt istos versus, et nouem modos inducentes obligationem restitutionis. Videri possunt

 Molin. t.

Molin. t. 3. de Iust. disp. 229 et sequentib. Sayrus in Claui Regia l. 10. tract. 2. c. 4. et sequentib. Lessius lib. 2. de Iustitia c. 13. Filliucius tomo 2. tract. 32. cap. 5. quæstione 9. Azorius tom. 3. libro 8. cap. 39. Rebellus 1. parte de obligationibus Iustitiæ lib. 2. quæst. 18. Cardinalis Ioannes de Lugo tom. 1. de Iustitia disp. 19. Bonacina tom. 2. disp. 1. puncto 3. de restitutione ingenere quæst. 2. et sequentibus, et alii multi Authores.

SECTIO TERTIA.

Diluitur secunda obiectio aduersariorum.

18. AD secundum obiectionem, quæ asserebat Henricum Secundum Angliæ Regem obtinuisse Apostolicum indultum Adriani Quarti Summi Pontificis, quo illum, et successores constituit dominos, et Reges Hiberniæ. Respondeo illud indultum seu rescriptum, quo se Angli protegere intendunt, et in quo magnam suæ iustitiæ partem collocant, fuisse subreptitium, et nullum, ac per consequens obiectionem illorum nullius esse valoris, aut efficaciæ. Quod autem illud indultum fuerit subreptitium, ex eo patet, quod omne rescriptum siué gratiæ siue justitiæ, tunc censetur subreptitium, et nullum, quando in petitione illius narratur falsitas, vel tacetur veritas necessaria, et deiure exprimenda circa causam finalem, vt omnes Theologi, et Iurisperiti hanc quæstionem tractantes communiter affirmant; et circa causam impulsiuam multi.

19 Quid autem fit rescriptum gratiæ, et justitiæ?

tiæ? Et quid sit causa finalis, & impulsiua insubiecta materia? Accipe breuiter, ex Theologis, et Iuristis Catholicis (de hæreticis vt pote divina, et humana fide destitutis non curamus) vt nostram intelligas solutionem. Rescripta gratiæ sunt illa, quibus beneficia, pensiones, et aliæ gratiæ conceduntur. Rescripta justitiæ sunt, quæ diriguntur ad lites, et similes causas ex iustitia terminandas, vel ad ius explicandum,&c. Videri possunt *Suarez lib* 8 *de Legibus cap.* 2. *n.* 8. *&* 9. *Sanchez tomo* 3. *de Matrimonio libro* 8. *disp.* 21. *n.* 1. *Menochius de Arbitrarijs lib.* 2. *centuria* 3. *casu* 201. *Gracia de Beneficijs part.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. *Salaz disp.* 20. *de Legibus, sectione* 15. *n.* 110. *Filliucius tract.* 10 *part.* 2 *quæst.* 7 *pagin.* 385. *num.* 323. *Bonacina tomo* 2 *disp.* 1. *de Legibus quæst.* 2. *puncto* 4. *n.* 1. *Laymanus libro* 1. *tract* 4 *cap.* 22. *n.* 12. *Ægidius de Conink in tomo de Sacramentis disp.* 33. *dub.* 6. *n.* 56 *& alij passim.*

20 Causa finalis est illa quam rescribens, vel concedens præcipué spectat, et qua rationabiliter mouetur, vt postulata concedat. et siné qua nullo modo ea concederet, vel non nisi quibusdam conditionibus, et limitationibus. Causa impulsiua est illa, ob quam rescribens, vel concedens facilius quidem petita concedit, sine illa tamen secundum rectam rationem, et merita causæ concederet petitum. Ita *Ægidius nuper citatus n.* 58. *Sanchez in Summa lib* 4. *cap.* 2. *num.* 38. *et cap.* 47. *n.* 11. *et tomo* 3. *de Matrimonio lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 8. *et sequentibus. Couarruuias lib.* 1. *variarum resolutionum cap. vltimo Vasquez tomo* 1. *in* 1. 2. *disputatione* 70. *cap.* 3. *et in opusculis moralibus tract. de Beneficijs, et præbendis cap.* 3. §. 4. *dubio* 3. *Tiraquellus tractatu cessante causa, limitatione* 1. *Suarez tom.* 1. *de Religione lib.* 6. *de voto, c.* 27. *n.* 9. et multi alij Theologi, et Iurisperiti.

His

21 His prænotatis, facile probari potest nostra solutio, et resolutio ex iuribus, rationibus, et Doctoribus. Iura enim probant gratiam, et concessionem obtentas per subreptionem esse nullas. Capite. Postulasti: de rescriptis. Ibi. *Commodum reportare non debet de huiusmodi literis, vt pote veritate tacita, impetratis.* Et capite. Constitutus: eodem. Dicitur esse irritum, et inane quidquid virtute literarum sic impetratarum fit. Et in capite finali. De filijs Præsbiterorum in 6. vbi decidens textus non valére dispensationem ad aliud beneficium impetrandum ab illegitimo obtentam, si aliud prius impetraret, nisi prioris defectus mentionem faciat, reddit rationem his verbis *Cum non sit verisimile sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, dispensare.* Vide etiam caput. Quod super his. De fide instrumentorum in 6.

22 Rationes etiam suppetunt bonæ. Prima, quia ignorantia veritatis, vel falsitatis in Principe, vel Prælato causat inuoluntarium, seu non voluntarium; at dispensatio, vel concessio, si non sit sufficienter voluntaria, erit nulla, quia sine voluntate non valet, vt euidens est: ergo, &c. Secunda, quia concessio, vel dispensatio est actus humanus: ergo debet procedere ex voluntate libera hominis intendentis aliquod operari; sed ignorans, vel errans non intendit concedere quod ipse ignorat, et ab ipso petitur, nisi narretur ei veritas, vel non nisi sub conditione tacita, vel expressa, si res ita sit, et nihil falsi addatur, vel occultetur, &c. Tertia, nam actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. *L. non omnis ff. si certum petatur*: ergo si desit intentio in concedente, vel dispensante, nihil efficiet: sed si desit voluntas, deest intentio: ergo, &c. Quarta, in generali concessione non veniunt

niunt quæ non esset quis verisimiliter concessurus, vt dicit Regula 81. de regulis iuris in 6.

23 Tandem plurimos Doctores hic citare possem, sed ne tibi molestus sim, paucos, et bonos accipe, et lege, si placeat, *Suarez in tomo 2. de Religione lib. 6 de voto, capite 27. et in tomo de Legibus libro 6. capit. 21. Sanchez tomo 3 de matrimonio libro 8. disp. 21. et in Summa lib. 4 cap. 47. Rebellum 2. parte de obligationibus iustitiæ libro 3. quæstione 5. section. 4. Ægidium Coninchum in tomo de Sacramentis disp. 33, de dispensatione impedimentorum matrimonij dubio 6. Reginaldum in Praxi libro 31. cap. 26. num. 198. Vasquez loco citato de beneficijs, et alios plures.* Vnde qui aliquam gratiam à Principe, vel Prælato petit, vt in conscientia securus sit, nihil falsi exprimere, nihil veri supprimere scienter debet, in re saltem graui, et pertinente ad causam finalem postulati, et concessionis, vt supra dicti Doctores, et cæteri communiter docent.

24 Nec refert ad valorem concessionis quod per ignorantiam, vel simplicitatem postulantis, vel per alterius malitiam contigerit ea taciturnitas, vel expressio falsi, seu quod veritas sit suppressa, vel falsitas expressa circa qualitates intrinsecas concessionis: semper enim corruit concessio quæcumque sit, vt constat ex capite super literis de rescriptis. Vbi sic. *Si vero per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis literæ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expressa, nos nullas literas dedissemus, á legato non est aliquatenus procedendum,* Sic etiam tenent Doctores Theologi, et Iuristæ communiter. Vide *Sanchez citatum lib. 8. disp. 21. n. 56, 57. et 72. vbi citat multos, et lib. 4. Summæ c. 47. n. 15. Bonacinam citatum puncto 4. n, 8. Panormitanum, Decium Felinum, et alios Iurisperitos in capit. super literis citato.*

Rex

25 Rex Henricus Secundus in petitione huius rescripti narrauit falsum: dixit enim Hiberniam tunc temporis non pertinére ad terminos Ecclesiæ Catholicæ, et Hibernos populos esse indoctos, et rudes, quibus necessarium erat declarari veritatem fidei Christianæ, illosque subdere legibus. Hæc falsa narratio colligitur ex ipsis literis Apostolicis supra positis num. 4. Pontifex enim in illis narrando petitionem Regis Henrici sic ait. *Laudabiliter, et fructuosè de glorioso nomine propagando in terris, et æternæ felicitatis præmio cumulando in cælis tua magnificientia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declarandam indoctis, et rudibus populis Christianæ fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps intendis, &c. Et infra, ad subdendum illum populum legibus.*

26 Tunc sic. Rex dixit se velle Hiberniam ingredi ad dilatandos Ecclesiæ terminos Quæro, non ne tota Hibernia tunc temporis erat Catholica cum omnibus suis incolis? erat profecto, nec vnquam à fide Catholica defecit, postquam illam semel suscepit à Sancto Patricio Apostolo suo, qui eam ibi prædicare incepit anno Domini 431. vel 432. vel 441. iuxta varias Authorum opiniones (vt omittamus nunc in Hibernia antiquiorem Sancti Iacobi Apostoli filij Zebedæi prædicationem) vsque ad præsens tempus, et annum 1645. in quo hæc scribo: ergo pertinebat ad terminos Ecclesiæ: ergo mentitus est Rex Henricus dicendo non pertinére, vel deceptus est hoc supponendo.

27 Prosequitur Henricus in sua petitione dicens. *Ad declarandum indoctis, et rudibus populis fide iveritatem* Doctiores Episcopos, et Magistros tunc temporis ha-

habuit Hibernia, illis, qui ex Anglia venire poterant, nec de facto aliqui venerunt ad prædicandum, et docendum: licet postea aliqui accesserunt non ad prædicandum, sed ad pinguia beneficia possidendum, ex quibus vnus fuit Richardus Radulphus ex Cancellario Oxoniensi in Anglia promotus ad Archiepiscopatum Armachanum, qui fortasse plus Catholicis hominibus nocuit quam profuit suis scriptis in quibus multi reperiuntur errores contra sanam, et Catholicam doctrinam, de quibus tractant Antonius Posseuinus *tomo 3. apparatus sacri pag.* 131. *litera R. Thomas Vvaldensis tom. 2. et 3. Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, et in tomo* 1. *controuersiarum lib.* 2. *de Monachis cap.* 45. et 46. Sed contra priscis illis temporibus Episcopi, et prædicatores Hiberni Angliam ingressi sunt, et fidem ibi prædicauerunt, et Anglos docuerunt, et ad fidem orthodoxam traxerunt. *Lege Bedam tomo 3. suorum operum in libris Ecclesiaticæ historiæ gentis Anglorum, et Dominum Philippum Sulleuanum in Compendio historiæ Catholicæ tomo 2. libro* 1. *cap.* 1. *et libro* 1. *de vita Sancti Patricij capit. 5. folio* 66. *et sequentibus.* Deinde illi populi non erant tam indocti, et rudes, vt indigerent nouis ex Anglia Magistris, quorum idioma non intelligerent ad veritatem fidei Catholicæ percipiendam, cum meliores Magistros vernaculos domi haberent. Extabant enim tunc in Hibernia 34, vel 35. Episcopatus cum totidem Episcopis, quorum quatuor erant Archiepiscopi, Armachanus, Dublinensis, Cassellensis, et Tuamensis. Multi Sacerdotes sæculares, et regulares dinersorum ordinum religiosorum. De Archiepiscopatibus, et cæteris Episcopatibus Regni Hiberniæ laté scribit Aubertus Miræus Bruxellensis in opere, quod inscri-

inscribitur: *Notitia Episcopatuum orbis Christiani:* lib. 1. cap. 7. pagina 13. et 14. et lib. 4. cap. 22. pagin. 219. et 220. vbi in longo Catalogo eos omnes nominat, et lib. 5. pagina 341. ait quatuor illos Archiepiscopatus institutos esse Authoritate Eugenij Tertij Summi Pontificis anno Christi Domini 1151. per Ioannem Papironem Legatum Apostolicum, vt Cæsar Baronius, et Henricus Spondanus eodem anno in suis annalibus tradunt. Idem affirmant Giraldus Cambrensis in Appendice rerum Hibernicarum cap. 20. Rogerius in annalibus, et alij. Gulelmus tamen Camdenus in sua Britanica ex Philippo Flateburensi tradit illos institutos esse Authoritate Apostolica anno 1152. per Christianum Episcopum Lismorensem Hiberniæ Legatum. Vide etiam Sulleuanum tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ lib. 1. cap. 7. et Augustinum Barbosam in libro de *Officio, et potestate Episcopi*, parte 1. titulo. 1 cap. 7. vbi ponit catalogum Episcopatuum Hiberniæ, et aliorum Regnorum totius orbis Christiani.

28 Pergit vlterius Rex Henricus in sua petitione. *Ad subdendum populum illum legibus*. Rogo. Quæ leges sunt istæ, quibus Henricus populum nostrum Hibernicum volebat subdere? Si Ecclesiasticæ. Obseruatiores semper in his fuerunt Hiberni, quam Angli, et Henricus ille: nam Hibernia cum suis numquam defecit à fide Catholica semel suscepta, Anglia cum suis sæpe vt in exhortatione mea infra demonstrabitur. Si erant illæ leges, quas Henricus in Anglia condidit, et voluit introducere contra libertatem, et dignitatem Ecclesiæ Catholicæ? Nobis abominabiles, et damnabiles erant, sicut fuerunt Sancto Thomæ Cantuarensi Archiepiscopo, qui eas tamquam

sacri-

sacrilegas vsque ad mortem impugnauit. Circa istas nefandas leges, videri possunt Mathæus Paris in historia Anglicana pagina 96. et 97. Petrus de Ribadeneira in vita Sancti Thomæ Cantuariensis. Bernardus de Britto in Chronica Cisternensis ordinis prima part. lib. 6. cap. 5. et alij. Si alias ciuiliores leges volebat, illis non indigebamus, cum nobis suppeterent meliores, vel certè sufficientes in Regno nostro. Ex quibus patet Regem Henricum narrassè falsum, et verum tacuisse, ac perconsequens literas á Pontifice obtentas fuisse subreptitias, et nullius valoris, et momenti ad ius, vel dominium aliquod Anglis Regibus in Hiberniam conferendum: vnde secunda obiectio nihil concludit. Accedit quod Summus Pontifex non solet, nec potest priuare aliquos Reges Catholicos suis Regnis tradendo illa alijs. Pontifex enim non est dominus temporalis Regnorum, vt melior, et communior Theologorum, et Iurisperitorum sententia docet. Vide *Ballarminum tom.* 1. *controuersiarum lib. 5. de Romano Pontifice cap. 2. et sequentibus. Soarez in tom. de legibus lib. 3. cap. 6. et in defensione fidei contra errores Sectæ Anglicanæ lib. 3. cap. 5. et Moliná to.* 1. *de Iustitia, disp.* 29. Qui multos alios referunt. Quod si aliqui Summi Pontifices in aliquibus casibus Reges aliquos deposuerunt, vsi sunt sua spirituali, et suprema potestate directa, et indirecté temporali, ob hæreses, vel alia crimina grauissima patrata à talibus Regibus. Deinde interrogo Anglos, an Henricus ille secundus acceperit Hiberniam sibi, et successoribus à Romano Pontifice iure feudali, nec ne? Si negant, ad quid pro se citant bullam illam? Si affirmant. Ergo Reges Angliæ sunt feudatarij, et vassalli Summi Pontificis, cuius potestatem ad conferendum Regnum agnoscunt,

 et in

et in cæteris negant. Vellem, vt homines cohærentius, et verius scriberent, et loquerentur, ne sibi contrarij videantur, et ab alijs irrideantur. Sed hæc obiter.

29 Dato tamen, et non concesso quod illud Apostolicum indultum Adriani Quarti Summi Pontificis, quo se Angli volunt protegere, et in quo magnam suæ iustitiæ partem collocant, esset verum, et legitimum, et nullo subreptionis vitio affectum; adhuc illorum obiectio non conuinceret; primo, quia conditiones in illo indulto, seu bulla positæ non fuerunt impletæ à Rege Henrico, nec ab eius successoribus Regibus etiam Catholicis, et multo minus ab vltimis quinque Regibus hæreticis, qui fuerunt Henricus Octauus, Eduardus Sextus, Elisabeta, Iacobus, et Carolus. vt infra statim demonstrabo; secundo, quia extant alia indulta, seu bullæ aliorum Summorum Pontificum posteriorum, quæ Hiberniam, et Hibernos ab omni Anglorum dominio eximunt, hortanturque ipsos Hibernos ad iustum bellum contra Anglos mouendum, et sustinendum, vt etiam inferius docebo.

30 Conditiones quidem præcipuæ, quæ in illo Adriani Quarti indulto exigebantur, sunt istæ; prima, *vt Ecclesiæ limites, vel termini dilatentùr.* Secunda. *Vt vitiorum decursus restringatur.* Tertia. *Vt praui mores corrigantur.* Quarta. *Vt Christiana religio augeatur.* Quinta. *Vt Dei cultus, et honor, et salus animarum maxime procuretur.* Sexta. *Vt iús Ecclesiasticum seruetur integrum.* Septima. *Vt annua pensio vniùs denarij á singulis Regni domibus soluenda, non tollatur, sed soluatur.* Hæ omnes conditiones claré colliguntur ex verbis Summi Pontificis Adriani Quarti contentis in illo indulto

dulto supra posito, vbi sic loquitur Henrico illi secundo Regi Angliæ. *Nos itaque pium, et laudabile desiderium tuum cum fauore congruo prosequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum, et acceptum habemus, vt pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, pro Christianæ religionis augmento, insulam illam ingrediaris; et quod ad honorem Dei, et salutem illius terræ expectauerit, exequaris, et illius terræ populus te honorofice recipiat, et sicut dominum veneretur, iure nimirum Ecclesiæ illibato, et integro permanente salua Beato Petro, et Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de singulis domibus annua vnius denarij pensione, &c.*

31 Ecce conditiones positæ à Pontifice Adriano Quarto Regi Henrico Secundo. Videamus quomodo eius successores Reges Angliæ, et eorum ministri Angli compleuerunt, vel potius spreuerunt illas conditiones, et contrarias omnino inducere desiderarunt, et de facto induxerunt, quantum potuerunt. Prima. Ecclesiæ Sanctæ terminos non amplificarunt, sed in quantum potuerunt, contraxerunt. Secunda. Vitia non restrinxerunt, sed auxerunt. Tertia. Mores non correxerunt, sed deprauarunt, et omnino corruperunt. Quarta. Christianam religionem non promouerunt, nec conseruarunt, sed extinxerunt quantum potuerunt. Quinta. Dei cultum, et honorem, et animarum salutem neglexerunt, et maximé impugnarunt introducentes hæreticas sectas, post Henrici Octaui Regis defectionem à Sancta Ecclesia Catholica Romana circa annum Christi 1535 Sexta. Ecclesiastica iura diminuerunt, et expilarunt. Septima. Pensionem Beati Petri non soluerunt, sed sustulerunt. Fidem Catholicam delére, et omnino extinguere studuerunt,

duerunt et adhuc student: sacra, et prophana miscuerunt, in sanctas imagines, et res alias sacras impias manus iniecerunt, nullam certam religionem, nullam firmam fidem statuerunt, sed varias, et hæreticas sectas sibi inuicem, et veræ, Catholicæ que fidei contrarias induxerunt, maxime tempore illorum quinque posteriorum Regum hæreticorum, qui fuerunt Henricus Octauus, Eduardus Sextus, Elisabeta, Iacobus, et Carolus.

32 Nunc mecum age, Catholice Lector. Quando aliquis alteri aliquid concedit sub aliqua, vel aliquibus certis, iustisque conditionibus, interueniente aliquo licito contractu, præsertim oneroso, et nominato, seu habente nomen, (qualis est *emptio*, *venditio*, *permutatio*, *cambium*, *mutuum*, *locatio*, *conductio*, *feudum*, *emphyteusis*, *&c.*) vel innominato, seu non habente nomen speciale, sed genericum tantum) qualis esse solet, *do vt des*, *do vt facias*, *facio vt des*, *facio vt facias*.) Non ne deficiente aliqua iusta, et honesta conditione, vel aliquibus conditionibus, maxime ex parte recipientis, concessio fit nulla, et contractus rescinditur, vel certè rescindi, annullari, et cassari potest? Ita sané, sicque omnes Theologi, et Iurisperiti vnanimi consensu communiter docent: sed sic est quod Summus Pontifex Adrianus Quartus concessit (si verum est quod Angli contendunt) dominium Hiberniæ Henrico Secundo Regi Angliæ et eius successoribus Regibus, sub certis, honestisque conditionibus supra positis: ergo si aliquis ex illis Regibus noluerit adimplère dictas conditiones, nec stáre promissis, et pactis, talis contractus erit nullus, et rescisus, vel rescindendus. Maxime quando aliquis Summus Pontifex Adriani Quarti successor, et populi Hiberniæ voluerint, frangenti enim fidem

fidem, non est seruanda fides, saltem in eàdem materia. *Frustra enim sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem á se præstitam seruare recusat.* Regula 75. de regulis iuris in 6. atqui Reges Angliæ, maxime quinque vltimi hæretici, non impleuerunt conditiones positas in bulla Adriani, Pontificis: ergo quilibet Pontifex successor Adriani, et populus Hiberniæ iusté poterunt priuare omni dominio, et iure prætenso quemlibet Angliæ Regem, qui noluerit adimplere præfatas conditiones, quia iam non verus Rex, et dominus est, sed potius intrusus, et tyrannus in possessione, et gubernatione Regni, ac per consequens ipso iure priuatus, vel certè priuandus omni titulo Regis, et domini, vt pote iniustus, et malæ fidei possessor. Hæc adéo clara sunt, vt Doctorum, vel textuun allegatione minime indigeant, cum nullus, nisi pertinax hæreticus, vel omnino stultus homo ea negare, vel aliquo modo tergiuersari valeat.

33 Venio ad secundum, in quo supra numero 29. dixi extàre alia indulta, diplomata, rescripta, seu bullas aliorum Summorum Pontificum Posteriorum, quæ Hiberniam, et Hibernos ab omni Anglorum dominio eximunt; hortanturque ipsos Hibernos ad iustum bellum contra Anglos mouendum, et sustinendum. Et in primis omittens quod de Sancto Laurentio Archiepiscopo Dublinensi narrant multi, et scribunt pauci, ex quibus vnus est Dominus Philippus Osulleuanus tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ lib. 1. cap. 7. folio 62. nempe quod Sanctus ille Præsul dolens de iniusta administratione Anglorum, et Regis Henrici Secundi in Hibernia, adiuit Summum Pontificem, qui tunc temporis Catholicam gubernabat Ecclesiam (ex computatione temporum videtur posse colligi fuisse Lucium Tertium) et ab illo impetrauit

trauit diploma, quo Anglis, et præfato Regi Henrico Hiberniæ administratio tollebatur; ceterum antequam in Hiberniam venijsset, diem clausit extremum in Galliæ opido, Augentij apud Ecclesiam Sanctæ Mariæ Rothomagensis diæcesis. Eius vitam pietate, bonis operibus, et miraculis plenam latè scriptam a peruetusto Authore inueniet lector apud Laurentium Surium tomo 6. die 14. Nouembris, in qua etiam die eius transitum ponit Cardinalis Cæsar Baronius in Martyrologio Romano, et in suis notationibus ibidem. Eius etiam Sanctæ vitæ, et gloriosæ mortis per elegans, et breue scripsit elogium Richardus Stanihurstus lib. 4. de Rebus in Hibernia gestis, pagina 194. et sequentibus, indicans eius mortem fuisse anno 1184. Vide etiam si placet, quæ idem Author de illo dicit lib. 3. pagina 106. Honorius Tertius Summus Ecclesiæ Præsul in Sanctorum Confessorum numerum retulit illum decimo sui Pontificatus anno, qui fuit annus Christi 1226. Vide bullam Canonizationis ipsius datam die vndecimo mensis Decembris anno supra, quæ habetur tomo 1. Bullarij Romani pag. 82, et 83. illud etiam prætermittendum non videtur, scilicet Regem illum Henricum Secundum impium, tyrannum, et crudelem hominem fuisse: quippe qui inter alia scelera sua, quæ multa fuerunt, magnum illud commisit, dum vsque ad mortem fuerit persecutus duos præclaros præsules, nempe Thoman Cantuariensem Archiepiscopum Martyrem gloriosum, et Laurentium Dublinensem Archiepiscopum Confessorem Sanctum, filium cuiusdam Regis, et Reginæ Hiberniæ, de quo in uita supra apud Surium cap. 31. pag. 322. in editione Coloniæ Agripinæ an. 1575. et in alia editione ibidem anno 1581. pagin. 354. sic habe-

habetur. *Oborta fuit grauis dissenssio inter Regem Angliæ Henricum sub quo passus est Sanctus Thomas Martyr gloriosus, et Regem Hiberniæ potentissimum Derogamum; cuius sedandæ causa se beatus Pontifex Laurentius interponens, venit in Angliam secum ducens quemdam nepotem suum iuuenem elegantem, vt eum Regi Henrico obsidem daret, si pax cum illo constitui vlla ratione posset; sed Rex Angliæ pacem repudians crudelem potius tyrannum se exhibuit, regioque edicto cauit, ne viro Dei liceret in Hiberniam reuerti, portusque omnes, qui Hiberniam spectarent, ei voluit esse interdictos, hac ratione beatum virum exulare cogens, &c.* Vnde factum est, vt in Galliam nauigare cogeretur, ibique mori, vt ibidem, et in sequentibus capitibus narratur.

33 Omitto etiam literas Summi Pontificis Ioannis 22. ad Eduardum Secundum Regem Angliæ in quibus eum monuit de iniusta Hiberniæ administratione, vexationibus, et grauaminibus, quibus Angli tunc temporis affligebant Hibernos, qui sic afflicti, vexati, et grauati de alio Rege sibi eligendo cogitabant. Præfatas literas Ioannis 22. refert Sulleuanus tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ libro 1. capite 9. folio 64. et 65. inueniuntur etiam in Bullario Romano tom. 1. pagina 172. et licet non adnotetur annus, quo expeditæ fuerunt, Nicolaus Sanderus insignis Doctor Catholicus Anglus lib. 1. de Schismate Anglicano pagina 222. et 223. eas referens dicit fuisse scriptas circa annum Domini 1320. ipse tamen Rex Eduardus 2. anno 1326, ob suam ignauiam, à suis Anglis priuatus est Regno, et vita, vt infra dicemus numero 91.

34 Paulus Tertius Summus Pontifex in Bulla, quæ incipit. *Eius, qui immobilis permanens:* Et habetur

tur in Bullario Romano tomo 1. pagina 514. et sequentibus, edita Romæ apud Sanctum Marcum anno 1535. tertio Kal. Septembris § 9. eiusdem indulti, omnes filios Henrici Octaui Regis Angliæ ortos ex Anna Bolena, et filios complicum, fautorum, ad hærentium, consultorum, et sequacium dicti Regis declarat infames, et incapaces omnis dominij, et beneficij temporalis, et Ecclesiastici, &c. vt patet ex verbis eiúsdem Pontificis loco citato, quæ sunt sequentia. *Et Henrici Regis, complicumque, fautorum, adhærentium, consultorum, sequacium, et culpabilium prædictorum filij, pœnarum, vt hic in hoc casu par est, participes sint, omnes, et singulos eiusdem Henrici Regis, ex dicta Anna, ac singulorum aliorum prædictorum filios natos, et nascituros, aliosque descendentes vsque ad eumgradum, ad quem iura pœnas, in casibus huiusmodi extendunt (nemine excepto, nullaque minoris ætatis, aut sexus, vel ignorantiæ, vel alterius cuiusuis causæ habita ratione) dignitatibus, honoribus, in quibus quomodolibet constituti existunt, seu quibus gaudent, vtuntur, potiuntur, aut muniti sunt, nec non priuilegijs, concessionibus, gratijs, indulgentijs, immunitatibus, remissionibus, libertatibus, et indultis, ac dominijs, ciuitatibus, castris, terris, villis, oppidis, et locis etiam commendatis, vel in gubernium concessis. et quæ in feudum, emphyteusim, vel alias á Romanis, velalijs Ecclesijs, Monasteriis, et locis Ecclesiasticis, ac sæcularibus principibus, dominijs, potentatibus, etiam Regibus, et Imperatoribus, aut alijs priuatis, vel publicis personis quomodolibet habent, tenent, aut possident, cæterisque omnibus bonis mobilibus, et immobilibus, iuribus, ac actionibus eis quomodolibet competentibus priuatos, dictaque bona feudalia, vel emphyteutica, et alia quæcumque ab alijs quomodolibet obtenta, ad directos dominos, ita vt de illis libere dispo-*

disponere possint respectiue deuoluta, et eos, qui Ecclesiastici fuerint etiamsi religiosi existant Ecclesijs etiam Cathedralibus, et Metropolitanis, nec non Monasterijs, et Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personalitatibus, Officijs, Canonicatibus, et præbendis, alijsque beneficijs Ecclesiasticis per eos quomodolibet obtentis priuatos, et ad illa, ac alia in posterum obtinenda inhabiles esse similiter decernimus, et declaramus, eosque respectiue priuatos ad illa, et alia quæcumque similia, ac dignitates, honores, administrationes, et officia, iura, ac feuda in posterum obtinenda authoritate, scientia, ac plenitudine similibus inhabelitamus. Hæc Pontifex in dicto §. 9. totidem, et formalibus verbis.

35 Et idem Pontifex in eadem bulla §. 10. sic procedit contra ipsum Regem Henricum 8. *Ipsiusque Henrici Regis, ac Regni, omniumque aliorum dominiorum, Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, Villarum, Fortaliciorum, Arcium, Oppidorum, et locorum suorum, etiam de facto obtentorum, Magistratus, Iudices, Castellanos, Custodes, et Officiales quoscumque, nec non communitates, Vniuersitates, Collegia, feudatarios, vassallos subditos, ciues, incolas, et habitatores etiam forenses, dicto Regi de facto obedientes tam sæculares, quam qui ratione alicuius temporalitatis ipsum Henricum Regem in superiorem recognoscant etiam Ecclesiasticos á præfato Rege, seu eius complicibus fautoribus, adhærentjbus, consultoribus, et sequacibus supradictis deputatis, á juramento fidelitatis, jure vassalitico, et omni erga Regem, et alios prædictos subjectione absoluimus, ac penitus liberamus. His nihilominus sub excommunicationis pæna mandantes, vt ab ejusdem Henrici Regis, suorumque officialium, Iudicum, et Magistrorum quorumcumque obedientia penitus, et omnino recedant,*

nec illos in superiores recognoscant, neque illorum mandatis obtemperent. Hæc Pontifex ibi. §. 10.

36 Et in alia bulla, quæ incipit. *Cum Redemptor noster.* Data Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini 1538. 16. kal. Ianuarij, anno quinto Pontificatus eiusdem Pauli Tertij, et habetur in bullario tomo 1. pagin. 517. confirmat Pontifex pænas in prædicta bulla expedita anno 1535. die 30. Augusti, anno 1. sui Pontificatus contra dictum Henricum Regem, et eius complices, fautores, &c. et in §. 1. huius secundæ bullæ sic loquitur Pontifex.

37 *Alias cum nobis relatum fuisset quod Henricus Angliæ Rex præterea, quæ matrimonium defacto, et contra prohibitionem Ecclesiæ temerarie contractum concernebant, quasdam leges, seu generales, constitutiones, subditos ad hæresim, et schisma, trahentes ediderat, et bonæ memoriæ Ioannem Sancti Vitalis Præsbyterum Cardinalem Reffensem publicè damnari, et capite puniri, ac alios quam plures Prælatos, nec non alias personas Ecclesiasticas hæresi, et schismati, huiusmodi ad-hærere nolentes carceribus mancipari fecerat; nos licet illi, qui talia nobis retulerant, tales essent, vt nullo modo de veritate suorum dictorum ambigendum esse, cupientes tamen respectu ipsius Henrici Regis, quem, antequam in has insanias incideret, peculiari quadam charitate prosequebamur, prædicta falsa reperiri de eis informationem vlteriorem habere procurauimus, et inuenientes clamorem ad nos delatum verum esse, ne nostro officio deessemus, contra eum procedere decreuimus iuxta formam quarundam literarum nostrarum, &c. vt supra in prima bulla anno* 1535.

38 Et §. tertio. Dictæ secundæ bullæ anni 1538. sic habet. Idem Pontifex eundem Regem Henricum alloquens. *Cum itaque resipiscentia, et correctio huiusmodi*

modi, quam tribus ferê annis expectauimus, non solum postea sequuta non sit, sed ipse Henricus Rex quotidie magis se in sua feritate, ac temeritate confirmans, in noua etiam scelera proruperit; quippe cum non contentus viuorum Prælatorum, et Sacerdotum crudelissima trucidatione, etiam in mortuos, et eos quidem, quos in sanctorum numerum relatos vniuersalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercère non expauit. Diui enim Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, cuius ossa, quæ in dicto Regno Angliæ potissimum, ob innumera ab Omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, summa cum veneratione in arca aurea, in Ciuitate Cantuariensi seruabantur, postquam ipsum D. Thomam ad maiorem Religionis contemptum, in iudicium vocari, et tamquam contumacem damnari, ac proditorem declarari, fecerat, exhumari, et comburi, ac cineres inuentum spargi iussit, omnem plane cunctarum gentium crudelitatem superans, cum ne in bello quidem, hostes victores sæuire in mortuorum cadauera soliti sint, ad hæc omnia ex diuersorum Regum etiam Anglorum, et aliorum Principum liberalitate donaria ipsi arcæ appensa, quæ multa, et maximi pretij erant, sibi vsurpauit, nec putans exhoc satis iniuriæ religioni intulisse, Monasterium Diuo illi Augustino, a quo Christianam fidem Angli acceperunt, in dicta ciuitate dicatum omnibus thesauris, qui etiam multi, et magni erant, spoliauit, et sicut se in belluam transmutauit, ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit, feras videlicet in dicto Monasterio, expulsis Monachis, intromittendo genus quidem sceleris non modo Christi fidelibus, sed etiam Turcis inauditum, et abominandum. Hæc Pontifex ibi.

39 Et Pius Quintus Pontifex Maximus in bulla, quæ incipit. *Regnans in excelsis.* Expedita Romæ apud Sanctum Petrum 5. kal. Martij anno Incarnationis

tionis Dominicæ 1569. anno quinto sui Pontificatus. Et habetur tomo 2 bullarij Romani pagina 229. in editione Romana anno 1638. hanc etiam bullam referunt Nicolaus Sanderus libro 3 de schismate Anglicano pagina 423. in editione Romana supra, et Dominus Petrus Lombardus in commentario Regni Hiberniæ capite 25. pagina 475. Præfatus ergo Pontifex in prædicta bulla sic ait. *Regnans in excelsis, cui data eſt omnis poteſtas in cælo, et in terra, vnam sanctam Catholicam, et Apoſtolicam Eccleſiam extra quam nulla eſt salus, vni soli in terris, videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique succeſſori Romano Pontifici in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum super omnes gentes, et omnia regna Principem conſtituit, qui euellat, deſtruat, diſſipet, diſpendat, plantet, et ædificet, vt fidelem populum mutuæ charitatis nexu conſtrictum in vnitate spiritus, saluumque, et incolumem suo exhibeat saluatori, &c. Sed impiorum numerus tantum potentia inualuit, vt nullus iam in orbe locus sit relictus, quem illi peſſimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter cæteros flagitiorum serua Elisabeta prætensa Angliæ Regina, ad quam veluti ad Asylum omnium infeſtiſſimi profugium inuenerunt. Hæc eadem, Regno occupato, supremi Eccleſiæ capitis locum cum in omni Anglia, eiusque præcipuam authoritatem, atque iurisdictionem monſtroſe sibi vsurpans, Regnum ipsum iam tum ad fidem Catholicam, et bonam frugem reductum, rursus in miserum exitum reuocauit. Vsu namque veræ religionis, quam ab illius desertore Henrico 8. olim euersam claræ memoriæ Maria Regina legitima, huius sedis præsidio reparauerat, potenti manu inhibito, secutisque, et amplexis hæreticorum erroribus, regium consilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudque obscuris hominibus hæreticis compleuit,*

Catholicæ

Catholicæ fidei cultores oppressit, improbos concionatores, atque impietatum administros reposuit. Missæ sacrificium, preces, ieiunia, ciborum delectum, cælibatum, ritusque Catholicos aboleuit; libros manifestam hæresim continentes toto Regno proponi, impia misteria, et instituta ad Caluini præscriptum a se suscepta, et obseruata etiam á subditis seruari mandauit. Episcopos, Ecclesiarum Rectores, et alios sacerdotes Catholicos suis Ecclesijs, et beneficijs eiicere, ac de illis, alijsque rebus Ecclesiasticis in hæreticos homines disponere, deque Ecclesiæ causis decernere ausa, Prælatis, Clero, et Populo, ne Romanam Ecclesiam agnoscerent, nevè eius præceptis, sanctionibusque canonicis ob-temperassent, interdixit: plerosque in nefarias leges suas venire, et Romani Pontificis authoritatem, atq, obedientiam abjurare, seque solam in temporalibus, et spiritualibus dominam agnoscere iure iurando coegit, pœnas, et supplicia in eos, qui dicto non essent audientes, imposuit, easdenq, ab ijs, qui in vnitate fidei, et prædicta obedientia perseuerarent, exegit. Catholicos Antistites, et Ecclesiarum Rectores in vincula coniecit, vbi multi diuturno langore, et tristitia confecti, extremum vitæ diem miserè finierunt. Quæ omnia cum apud omnes nationes perspicua, et notiora sint, et grauissimo quam plurimorum testimonio ita comprobata, vt nullus omnino locus excusationis, defensionis, aut tergiuersationis relinquatur. Nos multiplicantibus alijs, atq, alijs super alias, impietatibus, et facinoribus, et præterea fidelium persecutioni, religionisq, afflictione, impulsu, et opera dictæ Elisabetæ quotidie magis ingrauescente, quoniam illius animum ita obfirmatum, atq, induratum intelligimus vt non modo pias Catholicorum Principum de sanitate, et conuersione, preces, monitionesq, contempserit, sed ne huius quidem sedis ad ipsam hac de causa nuntios in Angliam traiicere permiserit, ad arma iustitiæ contra eam de necessitate cōuersi, dolorem lenire nonpossumus, quod adducamur in vnam animaduertere, cuius maiores

ores

ores de Republica Christiana tantopere meruère. Illius itaque authoritate suffulti, qui nòs in hoc supremo iustitiæ trono, licet tanto oneri impares, voluit collocare, de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus antedictam Elisabetam hæreticam, et hæreticorum fautricem, eique ad-hærentes in prædictis, anathematis sententiam incurrisse, esseque á Christi corporis vnitate præcisos. Quin-etiam ipsam prætenso Regni prædicti iure nec non omni et quocumque dominio, dignitate, priuilegioque priuatam, et item proceres, subditos, et populos dicti Regni, ac cæteros omnes, qui illi quomodocumque iurarunt, á iuramento huiusmodi, ab omni prorsus dominij, fidelitatis, et obsequij debito perpetuò absolutos, prout nos illos præsentium authoritate absoluimus, et priuamus eandem Elisabetam prætenso iure Regni, alijsque omnibus supradictis, præcipimusque, et interdicimus vniuersis, et singulis proceribus, subditis, populis, alijsque antedictis, ne illi eiusque monitis, mandatis, et legibus audeant obedire. Qui secus egerint eos simili anathematis vinculo innodamus, &c. Hæc Pius Quintus Pontifex Maximus in illa bulla.

40 Hæc sunt indulta, diplomata, rescripta, bullæ, vel literæ Summorum Pontificum, qui Hiberniam, et Hibernos ab omni Regum Anglorum hæreticorum dominio, et iurisdictione eximunt. Nunc restat assignare alia aliorum Pontificum Maximorum indulta, seu bullas, quæ ipsos Catholicos Hibernos hortantur ad iustum bellum contra hæreticos Anglos mouendum, et sustinendum, vt supra numero 29. dicebamus.

41 Gregorius ergo decimus Tertius Pontifex Maximus non semel hortatus est Catholicos Hibernos ad bellum mouendum contra hæreticos Anglos tribuens indulgentiam plenariam, veniam, et remis-

remissionem peccatorum omnibus, qui Iacobum Geraldinum, et Ioannem Geraldinum strenuos, et Catholicos duces Hibernos secuti fuissent, et se illis adiunxissent aut, Consilio, fauore, comeatibus, armis, alijsque bellicis rebus, seu quacumque ratione opem dedissent in bello contra hæreticos Anglos, vt patet in bulla expedita Romæ apud Sanctum Petrum die 13. Maij anno Domini 1580. anno octauo sui Pontificatus, quam refert Dominus Philippus Sulleuanus tomo 2. historiæ Catholicæ Hiberniæ libro 4. cap. 17. fol. 100. et 101. quam nos etiam hic de verbo ad verbum proponimus.

GREGORIVS PAPA

Decimustertius vniuersis, et singulis Archiepiscopis, Episcopis cæterisque Prælatis, nec non Principibus, Comitibus, Baronibus, Clero, Nobilibus, et Populis Regni Hiberniæ salutem, et Apostolicam benedictionem.

42 *CVm proximis superioribus annis per nostras literas vos hortati fuerimus, vt ad vestram libertatem recuperandam, eamque aduersus hæreti-*

nem declaras, et rei feliciter gerendæ principium á cælesti ope auspicatus, non minus humiliter quam religiosè Apostolicam benedictionem á nobis postulas. Plæclarum hunc in te ardorem, et constantiam aduersus hæreticos, et veræ fidei animum non parum laudamus: tuæque iam pridem pietatis conscij á te expectamus in hac opportunitate strenui, atque excelsi roboris documenta, quæ ante hac singularem nominis famam tibi compararunt. Illorum pariter commendamus consilium, quos tuo excitans exemplo significasti. Speramus autem fore, vt Altissimus tuæ causæ præsto sit, vt notam faciat in populis virtutem suam. Interim, vt confidentius cuncta aggrediamini, nos diuinam clementiam indesinenter orantes, vt aduersariorum conatus in nihilum redigat; tibi, cæterisque catholicorum rem in prædicto regno curaturis nostram libenter impartimur benedictionem, vniuersisque, et singulis, si verè pœnitentes confessi fuerint, et sacra communione (si fieri possit) debite refecti, plenariam suorum peccatorum veniam et remissionem; atque in mortis articulo indulgentiam etiam plenariam elargimur. Datum Romæ sub Annulo piscatoris die 8. *Octobris* 1642. *Pontificatus nostri anno* 20. Hæc Pontifex.

46 Nec vllus Catholicorum vnquam post defectionem, et apostasiam à fide Catholica Henrici Octaui Regis Angliæ, Eduardi Sexti, Elisabetæ, et aliorum Regum hæreticorum Anglorum, cum aliquali probabilitatis specie dubitare potuit de iustitia belli Catholicorum Hibernorum. Qua de re vide etiam doctum, et graue iudicium Doctorum Academiarum Salamantinæ, et Vallesoletanæ in Hispannia apud D. Philippum Sulleuanum tomo 3. historiæ Catholicæ Hiberniæ libro 8. cap. 7. fol. 202. et sequentibus.

Adden-

Addendum est hic etiam tamquam omnino certum omnes Hibernos teneri ex precepto humano, diuino, et naturali conuenire inter se ad hæreticos expellendos, et ad euitandam cum illis communicationem; et multo magis obligari ad non præstandum illis aliquod auxilium, consilium, fauorem, arma, aut comeatus, &c. contra Catholicos. Præceptum humanum Ecclesiasticum constat non solum ex constitutionibus Apostolicis supra citatis, et ex multis alijs iuris textibus, quos breuitatis gratia omittimus, sed etiam ex bulla, quæ singulis annis in die cænæ Domini publicé legitur, et promulgatur, in cuius prima clausula Summus Pontifex sic loquitur. *Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, authoritate quoq, beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra, quoscumque Hussitas, Vviclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgunottas, Anabaptistas, Trinitarios, et á Christiana fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectæ existant, ac eorum credentes, receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultê, quouis ingenio, vel colore; nec non schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.*

Diuinum præceptum clarè colligitur ex verbis Sanctorum Pauli, et Ioannis Apostolorum statim citandis, quin imo ex verbis Christi Domini, vt videat Catholicus Lector strictissimam, et vrgentissimam

mam Catholicorum Hibernorum obligationem in hac re. Sanctus ergo Paulus in Epistola ad Titum cap. 3. num. 10. sic ait. *Hæreticum hominem, post vnam, et secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, cum sit proprio iudicio damnatus.* Vbi Sanctus Apostolus post sufficientem admonitionem prohibet cum hæretico pertinaci communicare. Cuius rei rationem S. Bernardus, Sermone 66. in Cantica, optimè reddit loquens de héreticis. *Nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec authoritate corriguntur quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia snbuersi sunt.*

Sanctus Ioannes Apostolus Epistola 2. n. 9. 10. et 11. loquens de hæreticis sic dicit. *Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina, hic et Patrem, et Filium habet; siquis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis; qui enim dicit illi Aue communicat operibus eius malignis.* Et Sanctus Hieronymus in cap. 5. Epistolæ ad Galatas comparat heresim idololatriæ. *Dogmata hæretica idòla sunt, quæ fidelibus adoranda proponuntur ab hæreticis.*

Denique Christus Dominus noster præcipit, vt vitemus tamquam Ethnicum, et publicanum, omnem hominem, qui Ecclesiam Catholicam audire detrectat. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, et publicanus.* Mathæi 18. num. 70. Sed hæretici nolunt audire Ecclesiam Catholicam Dei-viui, quæ est columna, et firmamentum veritatis (vt affirmat Paulus 1. ad Timotheum 3. num. 15.) ergo debent à nobis reputari tamquam Ethnici, et publicani, ac per consequens eorum communicationem vitare debemus. Certè Sanctus Polycarpus Smir-

Smirnensis Episcopus, et Martyr inclytus Romæ aliquando obuium habens Marcionem Hæresiarcham, noluit ei loqui. Accesit tamen Marcio dicens, cognoscis nos? respondit Polycarpus. *Cognosco primogenitum Diaboli.* Ad imitationem huius sancti possumus nos similiter omnes hæreticos reputare, et vocare filios Diaboli.

Præceptum, et lex naturalis etiam dictat, vt nos patriam, et proximos nostros Catholicos defendamus ab hæreticis iniusté inuadentibus bona temporalia, et spiritualia nostra; sed hæretici Angli sæpe inuaserunt nos, patriam, proximos, et bona nostra: ergo tenemur hæc defendere, et illos expellere: omnes enim leges, et omnia iura præcipiunt, vel permittunt vim vi repellere. Deinde periculum peruersionis proueniens ex communicatione hæreticorum cauendum omnino est, vt ius, et lumen naturale dictat. Vnde non solum hæreticos Anglos, et Scotos expellere debetis, sed etiam Hibernos cuiuscumque conditionis hæreticis auxiliantes, vel aliquomodo fauentes e medio tollere deberetis, tamquam patriæ proditores, et hostes, non enim ignoratis pænas, quas in iure incurrunt hæretici, et illorum fautores. Legite caput 32. Exodi, et inuenietis quod Sanctus Patriarcha Moyses præcepit occidere 23. millia Hebræorum, ob peccatum idolotatriæ. Legite similiter caput 25. libri Numerorum, vbi ob peccatum etiam infidelitatis, et idololatriæ præcepit Deus tollere cunctos principes populi, et suspendere eos in patibulis. Quin imo eodem die occisi sunt 24. millia hominum Israelitarum. Iam supra dixi hæresim comparari cum idololatria, et hæreticos esse similes idololatris, sunt enim infideles Deo, et hominibus. Quare, vt malum à vobis tolla-

tollatur, emedio tollite hæreticos, et eorum fautores, etiam si, alioquin, sint fratres, et proximi vestri, sicut Deus præcepit, et Moyses fecit.

SECTIO QVARTA.

Satisfit Tertiæ aduersariorum obiectioni.

47 AD tertiam obiectionem, quæ asserebat Henricum Secundum Angliæ Regem fuisse receptum, et conclamatum, vel salutatum tamquam Regem, et dominum Hiberniæ à tribus Regni ordinibus. Respondeo primo negando fuisse receptum veluti talem ab Hibernis. Nam in primis multi principes, et proceres, et populi Hiberni noluerunt ipsum recipere, vel ei vnquam obedire, vt ipsi Angli antiquiores, et illius temporis scriptores palam fatentur, et a fortiori scriptores Hiberni. Certè Syluester Giraldus Cambrensis illius temporis scriptor, et eiusdem Regis secretarius citatus, et probatus à Richardo Stanihursto lib. 3. de rebus in Hibernia gestis fatetur totam prouinciam Vltoniæ cum suis principibus, et incolis non recipisse Henricum, nec eius principatum iurasse. Mathæus Paris etiam Anglus, et vetustus scriptor in sua historia Anglica pagina 121. numero 10. clare dicit Rodericum Conatiæ Principem, et Hiberniæ Regem supersedisse occurrere Regi Henrico, noluit enim illum tamquam domi-

dominum agnoscere, Ecce duæ Hiberniæ portiones, vel prouinciæ, vltonia scilicet, et Conatia, quæ Henricum recipere noluerunt. Sulleuanus etiam tomo 2. historiæ Catholicæ libro 1. cap. 5. dicit Henricum non fuisse receptum vt Dominum, aut Regem, sed vt præfectum, vel Commissarium á Pontifice missum. Archiepiscopus Lombardus citatus in commentario c. 17. pag. 253. ait Hibernos aliquos vi subactos, et metu coactos Henricum suscepisse. Denique procurator Regis Iacobi in Hibernia in illo libro, quem prælo mandauit anno 1612. fatetur nunquam Hiberniam totam fuisse subiectam Regibus Angliæ vsque ad Iacobum, qui cæpit regnare in Anglia post mortem Elisabetæ circa annum Domini 1603. et mortuus est anno 1625. Vnde nihil valet aduersariorum argumentum quatenus intendit probare Henricum Secundum fuisse receptum tamquam Regem, et Dominum à tribus Regni Hiberniæ ordinibus.

48 Respondeo secundo Dato, et non concesso, quod Henricus ille fuisset receptus, conclamatus, et consalutatus ab omnibus Regni ordinibus, nihil inde colligit aduersariorum obiectio, cum constet ordines Regni coactos fuisse graui metu ad eum recipiendum, nam Henricus ingentem classem quadraginta Myoparonum, seu magnarum nauium, militibus, et commeatibus plenarum secum duxit, quando Hiberniam est ingressus, et magnum antea exercitum in terra habuit, et multas ciuitates, et oppida in suam potestatem iam redacta. Vnde illius receptio, conclamatio, et salutatio ab Hibernis graui metu compulsis facta nullum ei ius tribuere poterat. Nam omnes Theologi, et Iurisperiti palam fatentur actus, et contractus omnes graui metu, vel coactione iniu-

sta

sta celebratos, esse ipso facto, et iure positiuo ciuili humano, et Canonico irritos, vel certe irritandos. Et facili negotio probari, ostendique potest ex utroque iure prima sententia asserens primum.

Probatur ergo, et ostenditur primo ex l. 1. cap. de rescindenda venditione, ibi. *Irrita est*, Quæ verba cum sint præsentis temporis dispositionem inducunt ipso facto, et iure iuxta doctrinam glossæ. *L. Iubemus* 14. §. *œconomus Verbo. Priuetur. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, et l. 5. verbo. Habeas. Cap. de iurisdictione omnium Iudicum, testaturque Cremensis singul.* 7. *Iasson. l.* 2. *num.* 13. *et* 15. *Cap. de iure emphyt. Tiraquel. cum multis, l. si vnquam Verbo (Reuertatur) num.* 21. *et sequentibus. Cap. de reuoc. donat.*

Secundo ex *l. Qui in aliena*, §. *Celsus, ff. de acquiren. hæred. ibi. Qui metu verborum, vel aliquo timore coactus fallens adierit hæreditatem, siuè liber sit, hæredem non fieri placet, siuè seruus sit, dominum hæredem non facere.* Ergo metu gesta sunt nulla ipso iure.

Tertio ex *l. Qui in carcerem* 22. *ff. de eo quod metus causa ibi. Qui in carcerem, quem detrusit, vt aliquid extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.* Vbi patet actum, et contractum metu celebratum ipso iure nullum esse. Illa enim particula (*nullius momenti est*) importat idem quod nullius vigoris, aut valoris, *cap. ordinar. in fine de officio ordinarij in sexto*, et ibi notat Archidiaconus: et sic intelligunt illum Textum multi, quos citat, et sequitur Rolandus *cons.* 2. *num.* 83. *limitat.* 1.

Quarto ex *l.* 2. *ff. de iudicijs, vers. ac si restitisset*, ubi si quis coactus sit à Prætore eius iurisdictioni consentire, nulla est pro rogatio ipso iure.

Quinto, cum dolus dat causam contractui bonæ fidei,

fidei, ipse contractus est nullus ipso iure. *L. et Eleganter* §.1. *ff. de dolo.* At metui dolus inest. *L. si cum exceptione*, §. *eum, qui ff. de eo quod metus causa, et l.* 2. §. *doli mali ff. de vi bonorum raptorum.* Atque ita æquiparari solent dolus, et metus, *cap. cum contingat. Fine. De iure iurando, et cap.* 2. *depactis in sexto cum alijs iuribus.* Ergo contractus, et actus metu celebratus est nullus.

Sexto, sine consensu contractus nullus est, eius enim substantia in consensu consistit. *L. obligationum ff. de actibus, et obligationibus;* sed vbi metus adest, deficit consensus iuxta regul. *Nihil consensui* 117. *ff. de regulis iuris, ibi. Nihil consensui tam contrarium est quam vis, atque metus*: et cap. cum locum desponsalibus, ibi. *Cum locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit, &c.*

Septimo, quia vim inferens, metuque extorquens furti, et rapinæ reus est: ergo instar furis nullum dominium rei ablatæ comparat, nec acceptio illa valida est. Tandem quia metus in se habet ignorantiam. *L. cum exceptione* 14 § *in hac actione ff. de eo quod metus causa, ibi. Nam cum metus habeat in se ignorantiam:* sed ignorantià est consensui contraria. *L. si per errorem ff. de iurisdictione omnium Iudicum;* ergo contractus initus vt pote consensu carens est ipso iure nullus. Hanc sententiam tenent Bartolus. *L. metum autem præsentem* 9. §. *volenti numer.* 2. *ff. de eo quod metus causa. Fortunius tractat. de vlt. fin illat.* 21. *numer.* 387. et sequentibus, et multi alij iurisperiti, et ex Theologis Dominicus Sotus *libro* 8. *de Iustitia quæst.* 1. *art.* 7. *in solut. ad tertium vers. seriosus tamen argumentum. Ludouicus Carbo de restit. q.* 46. *concl.* 5. *Ludouicus Molina tomo* 2. *de Iustia tract.* 2. *disput.* 326 *insolut. ad secundum.*

 Michael

Michael Palacius libro 4 *de Contractibus cap.*9. §. *dixerim igitur*, *et alij apud Sanchez citandum*, *et apud Gutierres libro* 3. *capit.* 76. *num.* 1. *et alios. Item Bonacina tomo* 2. *disputat.* 3. *de Contractibus quæst.* 1. *puncto* 3. §. 3.

49 Secunda sententia aliorum Doctorum tenet contractus graui metu initos valere, esse tamen irritandos. *Actione. Quod metus causa.* Probatur hæc sententia primo, *ex l.* 1. *ff. de eo quod metus causa*, *ibi*, *ait Prætor*, *quod metus causa gestum erit*, *ratum non habebo.* Vbi verbum futuri temporis non significat esse ipso iure irritum, sed irritandum, vt cum multis docet. *Tiraquellus*, *l. si vnquam. Verbo. Reuertitur. num.* 39. *cap. de reuocanda donat.* Et quia Prætor promisit actionem, seu exceptionem, vt metu gesta rescinderet.

Secundo *ex l. finali capit. de bis quæ vi*, *ibi. Venditiones*, *donationes*, *tránsactiones*, *quæ per potentiam ex tortæ sunt*, *præcipimus infirmari;* ergo quamuis valeant, iuris tamen remedio infirmandæ sunt.

Tertio ex cap. Abbas de his, quæ vi, in fine, ibi. *Quæ metu*, *et vi fiunt*, *de iure debent in irritum reuocari.* Omitto alia iura, probationes, et multos Doctores, quos pro hac sententia citat, et sequitur *Sanchez tom.* 1. *de Matrimonio disp.* 8. *n.*4. *Gutierres citatus numero* 2. *Lessius libro* 2. *de Iustitia cap.* 17. *dubitatione* 6. loquentes cum limitationibus circa aliquos contractus.

50 At loquendo de iure diuino, et naturali, vera sententia docet contractus graui metu celebratos esse irritos ipso iure diuino, et naturali. Primo quia quicumque contractus violenter celebratus, non potest esse perpetuns, et firmus iuxta illud, *Nihil violentum est perpetuum*: ergo coactio repugnat naturæ contractus, ac perconsequens illum irritabit. Secundo, quia omnis traditio per quam transfertur dominium, debet

debet esse plene libera, vt patet multis exemplis, verbi gratia, donatio dicit liberam donationem, et metu extorta obligat ad restitutionem, et idem est in emptione, venditione, locatione, mutuo, matrimonio, &c. Tertio, quia in omni lege naturæ, et diuina prouideri debet, vt omnis iniuria resarciatur, aliter lex naturalis deficeret in necessarijs; sed iniuria contractui coacto illata non aliter potest resarciri, nisi irritando talem contractum, quia semel validum non potest rescindi: ergo ius naturæ de facto irritabit omnem contractum per metum grauem, et coactionem celebratum, seu extortum. Omitto alias probationes apud Authores huius sententiæ, qui multi, et grauissimi sunt, quorum nonnulli de vno, alij de alio contractu, et alij de omnibus contractibus loquuntur. Eam tenent *S. Thomas in* 4 *distinctione* 29. *quæstione vnica, articulo* 3. *quæstiuncula* 1. *in corpore. Scotus ibi, distinctione* 39. *quæstione vnica,* §. *de secundo dico. S. Boauentura ibi, quæstione* 1 *num.* 5. *S. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 7. quos Duces sequuntur multi alij antiquiores, et recentiores, vt *Dominicus Solus in* 4. *distinctione* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. *vers.* 7 *arguitur. Victoria in summa loquens de matrimonio, et Martinus de Ledesma,* 2. *parte quarti, quæst.* 49. *art.* 3. *Ludouicus Molina tom.* 2. *de Iustitia, disput.* 326. *citans alios. Altisiod orensis, Ricardus, Gabriel Turrecremata, Bartholomæus de Ledesma,* et multi alij Theologi, et Iurisperiti, quos citat *Sanchez supracitatus libro* 4. *disputatione* 14. *numero* 4. *Aragon secunda secundæ quæst* 89. *art.* 7. *indubio circa solutionem ad tertium, conclusione* 1. *Rebellus part.* 2. *libro* 1. *quæstione* 5. *num.* 15. *citans multos, Lessius libro* 2. *de iustitia cap.* 17. *dub.* 6. *citans iura, et Doctores, Basilius Poncius lib.* 4. *de matrimonio, cap.* 6. *et* 8. *Antoninus Diana* 3. *part. tract.*

5 *resol.*

5. *resol.* 118 *et* 119 *pagin.* 240 *et* 241. *Ioannes Gutierres lib.* 3. *quæstionum Canonicarum cap.* 76. *num.* 3 *et* 4 excipiens aliquos casus: imó contractus factus ex metu leui non valet in conscientia secundum multos Doctores, qui sunt *Sanches tom.* 1. *de matrimonio lib.* 4. *disp.* 9. *num.* 4. *citans multos. Rebellus* 2. *parte libro* 1. *q.* 5. *n.* 9. *et* 16. *Lessius lib.* 2. *cap.* 17 *dub.* 6. *n.* 46. *Nauarrus cap.* 17. *num.* 15 *et cap.* 22. *num.* 51 §. 7, *Gutierres citatus n.* 7. *et alij.*

51 Iuxta quamlibet ex his tribus sententijs habemus intentum contra nostros aduersarios, cum constet contractus, et actus graui metu celebratos esse irritos ipso facto, et iure positiuo humano, vel iure diuino naturali, vel saltem rescindendos esse: quæ cum ita sint, non est cur amplius moram trahamus in solutione huius obiectionis.

SECTIO QVINTA.

Occurritur quartæ aduersariorum obiectioni.

52 AD quartam, et vltimam aduersariorum obiectionem, quæ asserebat Reges Angliæ præscripsisse dominium in possessione Hiberniæ, tot annis: respondeo negando ipsos potuisse præscribere defectu conditionum omnino necessariarum ad præscriptionem rerum alienarum. Quæ responsio, vt bene intelligatur, recteque percipiatur, operæ pretium erit, præmittere ex iure, et Doctoribus,

bus, quid sit præscriptio, et quas conditiones habere debeat, vt vera, et valida sit? Et omissis varijs significationibus nominis præscriptionis, et eius conuenientia, et differentia ab vsu capione: de quibus Doctores Theologi, et Iurisperiti passim agunt: accipio nunc vocabulum præscriptionis, pro vt est vsurpatissimum in iure Canonico, et apud Theologos, et vtriusque iuris interpretes, et in sensu proprio huius obiectionis, pro acquisitione dominij ex possessione, tempore, et conditionibus requisitis, de quibus *Syluester verbo, præscriptio, Ludouicus Molina tomo primo de Iustitia disp.* 60. *et sequentibus, Leonardus Lessius libro* 2. *de Iustitia cap.* 6. *Vincentius Filliucius tomo* 2. *de Christianis officijs tract.* 31. *cap.* 8. *Martinus Bonacina tomo* 2. *disputatione* 1. *de restitutione in genere quæstione vltima, puncto* 2. §. 2. *Dominicus Sotus libro* 4. *de Iustitia quæst.* 5. *Paulus Laymanus in Theologia morali lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 8. *Didacus Couarruuias regula Possessor* 3. *p.* §. 2. *n.* 3. *Thomas Sanchez lib.* 7. *de Matrimonio disp.* 37. *num.* 6. *Ioannes Azorius tom.* 3. *institutionum moralium lib.* 1. *cap.* 16. *et sequentibus, et alij Theoligi, et Iurisperiti frequenter.* In hac ergo significatione, præscriptio accepta, sic definiri potest, et solet ex iure, et Doctoribus.

53 *Præscriptio est acquisitio, vel adeptio dominij rei alienæ per continuationem possessionis bonæ fidei spatio temporis á lege definiti.* Sic habetur in *Lege vsu capio ff. de vsu Capionibus*, et docent Theologi, et Iurisperiti communiter, esto aliqui ab alijs discrepent in additione, vel ablatione alicuius particulæ huius definitionis: conueniunt nihilominus in substantia illius. Vide supracitatos, qui alios citant.

Dicitur præscriptio *(acquisitio)* causaliter, quia præscriptio est causa acquisitionis. Dicitur (*dominij*) intelli-

intellige proprietatis, vel vtilitatis, quia vtraque potest præscribi. Dominium proprietatis, vel directum est quando quis habet dominium proprium alicuius rei, v. g. prædij, vineæ, &c. Dominium vtilitatis, vel vtile est, quando quis habet ius accipiendi fructus talis rei, licet res sit aliena. Dicitur (*per continuationem possessionis*) quia possessio debet esse continua, et non interrupta, vt patebit ex infra dicendis. Dicitur (*bonæ fidei*) quia sine bona fide non potest dari præscriptio, vt infra etiam demonstrabitur. Dicitur (*spatio temporis, &c.*) quia cum rerum dominium vnus amittat, et alius acquirat, statutum est iure humano ad tollendas lites, et incertitudines dominiorum rerum, aliquod tempus ex legibus determinandum, secundum conditiones necessarias, de quibus iam dico.

54 Quatuor, vel quinque conditiones requiruntur, vt præscriptio vera, et valida sit. Prima conditio est *continuata possessio rei præcribendæ*. Secunda. *Bona fides*. Tertia. *Titulus probabiliter præsumptus*. Quarta *Tempus á iure definitum*. Quinta. *Capacitas actiua, et passiua*. Ita Doctores supracitati, et alij communiter.

55 Prima ergo conditio, quæ est possessio, est adéo necessaria, vt sine illa nequeat dari præscriptio iuxta regulam sine possessione 3. de Regulis iuris in 6. ibi. *Sine possessione præscriptio non procedit*. Et Doctores communiter. Hæc tamen possessio debet esse continuata, nam si in aliquo casu cesset, dormiat, vel interrumpatur, non valet. Quando autem præscriptio, et possessio currit, vel non, incipit, vel non, cessat, dormiat, interrumpatur, perpetuatur, seu protegatur? Laté tractat Molina tomo 1. de Iustitia tractatu

ctatu 2. disputatione 78. et 79. vbi citat iura, et Doctores.

56 Secunda conditio necessaria ad præscribendum est bona fides, sine hac enim nunquam datur, nec dari potest præscriptio, vt patet ex regula secunda iuris in 6. ibi. *Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit.* In quam regulam Didacus Couarruuias de Leiua Episcopus Segouiensis doctissimum scripsit commentarium, quem, et alios Doctores vide, si placet, et præsertim Molinam sæpe citatum, disp. 63. et Lessium etiam citatum cap. 6. dub. 2. et idem habetur in cap. fin. de præscriptionibus, quod desumptum est ex magno Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. Summo Pontifice, vbi hæc veritas dogmaticè definitur his verbis. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam ciuilis; cum generaliter sit omni constitutioni, et consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari, Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Hæc Concilium. Ex cuius definitione, et ex Doctoribus constat quid sit bona fides, de qua hic agimus? Et dico bonam fidem esse credulitatem, qua quis sibi prudenter persuadet rem, quam possidet, esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dixi (*prudenter*) nam si ex ignorantia crassa vel affectata, vel inordinata cupiditate illa persuasio procedit, non erit bona fides, vt recte notarunt Lessius citatus dub. 2. num. 9. Molina disp. 63. Filliucius tractatu 31. cap. 8. q. 3. n. 186. Sanchez in præceptis Decalogi libro 2. cap. 23. n. 158. et sequentibus nitans multos, et alij passim; et patet ex multis iuribus, vt ex lege bonæ fidei 110. ff. de verborum signi-

significatione, ibi. *Bonæ fidei emptor esse videtur, qui aut ignorauit rem alienam esse, aut eum, qui vendidit, ius putauit vendendi habere:* et cap. si Virgo 34 quæstione 2. ibi. *Tandiu quisquam bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum.* Omitto alia iura breuitatis causa.

57 Tertia conditio est. Titulus probabiliter præsumptus, qui tamen verus credi, et præsumi debet ab eo, qui rem eo titulo possidet. Talis enim titulus probabilitér præsumptus transfert vsu capiendi conditionem in hominem efficiendo illum habilem ad præscribendum tanto tempore, dummodo cæteræ conditiones non desint. Rem exemplis, titulisque declaro: multi enim sunt tituli præscriptionis, vt solutionis, emptionis, hæreditatis, donationis, derelicti, legati, dotis, sui, &c. Explico hos titulos. Primus ergo titulus est, pro soluto, vt si mihi promisisti equum, et vt soluas, tradis equum, qui non est tuus, sed ego bona fide credidi esse tuum, et possum præscribere illum titulo pro soluto. Secundus pro emptore, vt si emi rem furtiuam ab eo, quem putabam bona fide esse verum dominum, præscribere possum titulo pro emptore. Tertius pro hærede, vt quando quis reuera hæres non est, nihilominus habet probabilem rationem, et causam existimandi se hæredem esse, talis præscribere potest pro hærede. Quartus pro donato, vt quando quis accipit rem aliquam sibi donatam ab eo, quem bona fide credebat esse antea rei donatæ dominum. Quintus pro derelicto, vt cum res mea possidetur ab alio, qui putabatur verus dominus; sed ab eo derelicta occupetur ab alio, et bona fide præscribitur. Sextus pro legato, vt quando aliquid legatum est à vero domino in testamento, sed in codicillo

dicillo sublatum est, quod tamen ignoratum est. Septimus pro dote, vt quando quis accepit in dotem rem alienam, quam bona fide credebat fuisse dantis, vel dotantis. Octauus pro suo, vt cum quis accepit ceruum alterius credens esse ferum, et non mansuetum, talis potest præscribere pro suo. Hi tituli, et exempla nunc sufficiunt, alia possent assignari, si essent necessaria ad nostrum intentum. Vide molinam citatum disputatione 64 Lessium libro 2. capite 6. dub. 7. Filliucium capite 8. quæstione 4. Azorium citatum tomo 3. libro 1. capite 21. et alios.

58 Quarta conditio est. Tempus á iure statutum. Ius ciuile, et canonicum ad euitandas incertitudines dominiorum rerum, et ad finem imponendum litibus, statuit certum tempus, in quo possessor bonæ fidei potuisset præscribere, facereque suum illud, quod possidet. Vnde res, quæ possideri possunt, in duplici sunt differentia. Quædam dicuntur mobiles, quæ loco moueri possunt, vt vestes, arma, animalia, naues, &c. Aliæ dicuntur immobiles, quæ loco dimoueri non solent, vt domus, ager; Ciuitas, Regnum, &c. Vide Molinam disp. 68. Filliucium tract. 31. capit. 8. quæst. 5. Turrianum disp. 47. dubio 4. Bonacinam disp. 1. de restitutione in genere quæstione vltima, puncto 2. §. 2. num. 28. Lessium libro 2. cap. 6. dub. 7. et alios. Hac distinctione supposita.

59 Communis Doctorum, et iurium resolutio est ad præscriptionem rerum, seu bonorum mobilium, quæ proprie nuncupatur vsucapio, requiri spatium trium annorum cum titulo, et bona fide. *L. vnica cap. de vsucapionibus et institut de vsucapionibus.*

60 Hoc idem tempus sufficit secundum aliquos Doctores ad præscriptionem bonorum mobilium,

 non

non solum laicorum, sed etiam Ecclesiasticorum, et Ecclesiarum. Ita *Molina disp.* 68. *Sayrus in claui Regia libro* 9. *capit.* 12. *numero* 25. *et Bonacina citatus num.* 28. citans alios asserentes sic colligi ex authentica (*quas actiones*) capit. de sacrosanctis Ecclesijs. Azorius tamen *tomo* 3. *libro* 1. *capit.* 22. *quæstione* 2. cum alijs negat sufficere spatium trium annorum ad præscribendum bona mobilia Ecclesiarum maxime Romanæ Ecclesiæ. Primo, quia non est textus iuris canonici, quo in rebus mobilibus Ecclesiæ approbetur vsucapio, vel præscriptio triennalis. Secundo, quia in capit. 1. de præscriptionibus dicitur. *Aduersus Ecclesias minorem præscriptionem quam quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittit.* Vbi Pontifex generaliter loquendo nihil distinguit de immobilibus, vel mobilibus rebus: ergo nec nos distinguere debemus. Tertio, quia contra Fiscum non procedit vsucapio, *institut. de vsucapion* §. *res Fisci:* ergo nec contra Ecclesiam, quæ non minori, sed maiori debet gaudere priuilegio.

61 Ad præscriptionem rerum immobilium requiritur contra priuatos spatium decem annorum inter præsentes cum possesione, titulo, et bona fide; inter absentes vero requiritur spatium viginti annorum. *Inst. de vsucapionibus, et capit. Sanctorum de præscriptionibus*; et Doctores ibi communiter. Vide Molinam disp. 69. Lessium lib. 2. cap. 6. dub. 8. Bonacinam sæpe citatum disp. 1. q. vlt. p. 2. §. 2. n. 28. et 29. Præsentes autem dicuntur illi, qui in eàdem ciuitate, vel parte Regni commorantur. Absentes veró, qui in diuersis Ciuitatibus, vel Regni partibus, seu territorijs habitant, siue res præscribenda sit ibi, vel alibi. Ita citati Doctores, et alij communiter.

Exci-

62 Excipiuntur, tamem pupilli, qui licet homines priuati sunt, nulla contra illos datur præscriptio mobilium, vel immobilium, quandiu in ea sunt ætate. *L. sicut rem 3. cap. de præscriptione triginta annorum.* Factum est hoc in fauorem pupillaris ætatis, et status. Excipiuntur etiam minores, qui nondum habent 25. annos expletos. *L. vltima, cap. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.* Et ratio est, quia minores non ita rebus suis possunt inuigilare, maxime cum administrationem non habeant.

63 Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, monasterium, et hospitale, aliasque pias causas requiritur tempus quadraginta annorum cum possessione, titulo, et bona fide: contra Romanam veró Ecclesiam requiruntur centum anni, habetur authentica. (*Quas actiones*) cap. de sacrosanctis Ecclesijs. Vbi tempus præscriptionis contra reliquas Ecclesias, et pia loca restringitur ad quadraginta annos (cum antea esset centum annorum vt patet ex lege vt inter diuinum, quæ immediate præcedit;) et soli Ecclesiæ Romanæ inter loca pia, priuilegium centum annorum reseruatur.

64 Ad præscribendum contra Regnum, vel principem requiritur spatium centum annorum, cum possessione, titulo, et bona fide: nam ad præscribendum contra ciuitates desideratur tempus, et spatium centum annorum. *L. vnica, cap de sacrosanctis Ecclesijs;* ergo similiter ad præscribenda bona, et Regnum Principis requiritur tantum temporis, idest centum annorum. Quia bona Principis censentur bona Regni, seu principatus. Sic docent Couarruuias: *ad regul. Possessor. parte 2. §. 2. n, 9. citans alios; Aluarus Velascus de iure Emphyteutico q. 17. n. 12. Molina tomo 1. de iustitia disp.*

*disp.*74. *n.* 4. *Luisius Turrianus in tomo de iustitia disput.* 47.*dubio*7.*Bonacina tomo* 2. *disp.* 1.*de restitutione,quæst. vlt.*§.2.*num.* 31.*vers.respondeo secundo.Filliucius tomo* 2. *tract.*31 *cap.*9. *q.* 5. *n.* 200. Et nuperrimè Doctor Franciscus Velascus Goueanus in tractatu Analytico de iusta acclamatione Serenissimi Regis Portugalliæ Ioannis Quarti, tertia part. §. 2.num. 11. vbi citat iura, et Doctores præsertim Felinum in cap. ad audientiam num. 22. Decium in cap. cum dilecta, num. 11. Franciscum Balbum de præscriptionibus, et alios, et respondet ad fundamentum alterius opinionis asserentis sufficere tempus quadraginta annorum ad præscriptionem Regni. Tandem Doctor Antonius de Sousa in Lusitania liberata libro 3. capite 5. ea, qua solet eruditione, citans multos.

65 Quinta conditio necessaria ad præscribendum est capacitas actiua respectu possidentis, et capacitas passiua respectu rei, quæ possidetur, vt scilicet possidens possit possidere, et res possit possideri. Defectu huius conditionis Religiosus professus non potest aliquid sibi præscribere, quia deest illi capacitas actiua. Nec laicus potest præscribere ius cognoscendi, et iudicandi causas Ecclesiasticorum, et Ecclesiarum, &c. vt sacrilegé, nefarié, atque tyrannicè consueuerunt facere aliqui Reges Angliæ, præsertim Henricus Secundus, Henricus Octauus, Elisabeta, Iacobus, et Carolus. Vide Authores, qui contra hos Reges scripserunt, vt Suarez, Bellarminum, Becanum, Sandcrum, Personium, Placenium, et alios. Vide etiam Molinam *disp.* 79. Lessium *libro* 2. *capite* 6*dub.* 2. Bonacinam sæpe citatum *disp.* 1. *q. vlt.* §. 2. *n.* 5. *et sequentibus, vbi citat alios Doctores.*

66 His conditionibus suppositis, et breuiter expli-

explicatis, restat examinare, an aliqua ex illis defuerit prætensæ Anglorum præscriptioni, deficiente enim aliqua ex illis, nihil valet, nec valère potest illa prætensa, et imaginaria præscriptio.

67 Incipiamus ergo à prima, quæ est continuata Regni possessio. Hanc nunquam Angli habuerunt in Hibernia. Primo; nam illa prætensa possessio ab initio fuit violenta, et inualida, et ideo temporis decursu conualescere non poterat. Quod enim ab initio non fuit validum, tractu temporis non conualescit. Seu vt habet illa Regula 25. iuris ciuilis. *Quæ ab initio invtilis fuit institutio, temporis tractu conualescere non potest.* Secundo, licet vnam, vel alteram ciuitatem, villam, oppidum, pagum vel terræ angulum habuerint, non tot prouincias, ciuitates, villas, et oppida, quot in illo Regno reperiuntur, et suos proprios dominos habebant. Tertio. Ista prætensa possessio sæpe fuit interrupta ab Hibernis iusté bellum gerentibus aduersus Anglos injusté possidentes, vt est manifestum in nostris historijs apud Sulleuanum in compendio historiæ Catholicæ Hiberniæ: et constat ex Bullis Summorum Pontificum supracitatis, numero 33. et sequentibus vsque ad 46. inclusiue. Quarto; quia bona mobilia, et immobilia, quæ postea violenter, et iniusté Angli obtinuerunt contra ius, et fas, non recté possiderunt, sicut nec latrones, qui proprios dominos suis bonis iniusté spoliant. Quam ob causam, similes prædones nunquam præscribere valent bona sic accepta, cum sint malæ fidei possessores iuxta supradicta.

68 Secunda conditio, quæ est bona fides, deficit etiam Anglis, vt possent Hiberniæ dominium præscribere. Primo; nam bellum ex parte illorum fuit iniustum,

iniustum, vt supra probatum est. Secundo, quia indultum, quod allegant, fuit subreptitium, et nullum. Tertio; etiamsi esset validum ex se, nihil valeret defectu conditionum, quas Angli nunquam seruarunt, vt etiam supra demonstratum est. Quarto; quia acceptio populorum, quam affirmant, nihil operari potuit, quia graui metu coacti aliqui homines acceperunt Henricum illum secundum, vt supradictum manet. Vnde cum defuerit bona fides, ipsi nunquam præscribere poterant, cum malæ fidei possessores in nullo tempore, quantunuis longissimo valeant præscribere iuxta regulam 2. iuris in 6. *Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit*. Vbi Doctores communiter.

69 Tertia conditio erat. Titulus probabiliter præsumptus. Hæc etiam conditio non potuit suffragari Anglis, qui titulum Hiberniæ non probabiliter, sed improbabiliter præsumptum habuerunt. De iniustitia huius tituli satis diximus, supra numero 8. et sequentibus, cum probauerimus Anglos dominium Hiberniæ obtinuisse iniusto bello, &c. Alioquin dicant etiam ipsi Turcas, et Sarracenos iustè possidère terram sanctam, quia iniusto bello eam occuparunt: quod impium, et ridiculum esset theorema.

70 Quarta conditio erat. Tempus à iure statutum. Hoc cum deberet esse centum annorum in præscriptione Regni, vt supra numero 65. diximus, nullus Anglorum Rex illud habuit, quia nullus ex illis vixit centum annis, et quamuis vixisset, hoc tempus non sufficeret, quando non esset simul cum bona fide, quam ipsi nunquam habuerunt, vt probatum est. Nec sufficit quod primus ille Rex Henricus Secundus, et successores hoc tempus, et amplius habuerunt. Nam qui vt hæres rem accipit á possessore malæ fidei,

dei, nullo tempore potest eam præscribere: quamuis bona fide acceperit, et possiderit, vt est communissima Doctorum sententia, et colligitur clare ex multis iuribus. Ita *Bartolus L. et ex diuerso 36. in principio num. 12. ff. de rei vendicat. Abbas cap. grauis num. 10. de restit. spol. et ibi Beroius num. 38. et Menochius de recup. possess. remedio 15. num. 617. quos citat, et sequitur Sanchez in opere morali libro 2. cap. 23. num. 154. Couarruuias regula possessor §. 9. Molina tomo 1. disp. 65, Lessius libro 2. cap. 6. dub. 13. Bonacina tomo 2. disp. 1. de contractibus, quæstione vltima puncto 2. §. 2. num. 21.* Vbi citat Azorium, Sayrum, Filliucium, Turrianum, et alios. Probatur ex *L. cum hæres 11. ff. de diuersis, et temporalibus præscriptionibus, vbi sic dicitur. Cum hæres in ius omne defuncti succedat, ignoratione sua defuncti vitia non excludit: veluti cum sciens alienum ille, vel precario possedit, quamuis enim precarium hæredem ignorantem non tenet, nec interdicto rectè conueniatur, tamen vsucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Et additur. *Idem iuris est cum de longissimu possessione quæritur, cum exordium bonæ fidei ratio non teneatur. Et §. Diutina. Institut. de vsucap. Si ille* (defunctus) *initium iustum non habuit:* idest, si mala side cæpit possidere, *hæredi, et honorum possessori licet ignoranti possessio non prodest.* Idem habetur. *L. vltima cap. communia de vsucapione.* Ratio denique est, quia hæres repræsentat personam defuncti, ita vt ex iuris dispositione censeatur eadem persona cum defuncto, et amborum possessio quasi vna continuata: vnde cum initium possessionis hæredis in defuncto sit vitiatum mala fide, censetur etiam vitiata possessio in hærede, ad quem extenditur: qui hæres ex eàdem iuris dispositione censetur mala fide possi-

possidére, et ideo non valet iuxa illud; *quod ab initio non fuit validum, tractu temporis non conualescit.* Cum mala autem fide nullo modo procedit præscriptio, vt omnes fatentur: ergo sicut defunctus minime poterat rem illam præscribere, ita nec hæres. Quæ ratio clarè colligitur ex iuribus, et Doctoribus citatis et præsertim ex glossa in *L. citat. verbo Rei.* Vbi sic, *est enim intuendum exordium in persona testatoris, quia hæres eadem persona intelligitur.* Vnde Reges Angliæ, non fuerunt possessores, sed detentores Hiberniæ per multos annos. Detentio autem perplures annos non tribuit ius, sed auget peccatum. *Cap. non debet. de consanguinit. et affinit.* Bonacina citatus tomo 2. disp. 1. de restitutione q. 6. n. 9. Sousa citatus libro 3. cap. 5. num. 21. et alij.

71 Quinta conditio necessaria ad præsciben-dum erat capacitas actiua, et passiua, vt supra num. 66. declarauimus, et hæc non defuit Regibus Angliæ ad bona temporalia, et sæcuralia præscribenda, si cæteræ conditiones adessent: ad bona vero, et iura Ecclesiastica possidenda, et iudicanda defuit hæc conditio, ac per consequens omnes conditiones necessariæ ad præscribendum illis defuerunt. Vnde nullum ius in Hibernia olim habuerunt, nec hodie defacto habent.

SE-

SECTIO SEXTA.

Concluditur cum aduersarijs disputatio.

72 IAm soluimus, et resoluimus aduersariorum obiectiones, et ostendimus iustitiam nostram contra iniustitiam illorum. Ne tamen conquærantur, et nouis argumentis suam causam confirmare, et nostram infirmare conentur ; operæ pretium duximus omnem euasionem et viam illis intercludere, ne vlterius progredi possint, nisi fortasse mentiendo, et decipiendo solito de more vetusto, hoc enim familiare omnibus hæreticis semper fuit.

73 Dato ergo, et non concesso quod Reges Angliæ olim fuissent legitimi, ac veri Domini Hiberniæ (vt aliqui Angli immerito contendunt) nihilominus ordines illius Regni optimo iure poterant, ac debebant omni dominio Hiberniæ priuare tales Reges, postquam facti sunt hæretici, atque tyranni. Hoc enim ius, et potestas deponendi principes tyrannos in omni Regno, et Republica est, siué gubernatio sit Monarchica, siuè Aristocratica, vel Democratica. Iam si consensui Regni vel Reipublicæ in hac re accederet authoritas Apostolica, quis nisi hæreticus, vel stultus audebit negare, quod hic affirmamus, et Doctores Theologi, et iuris vtriusque periti passim dicunt, rationes probant, exempla suadent.

74 Quod ad Doctores attinet, ita docent Suarez in *defensione fidei Catholicæ aduersus Anglicanæ sectæ*

 errores

errores libro 3. capit. 2. 3. et 23. et libro 6. *cap*. 4. *Molina tom*. 1. *de iustitia disp*. 23. *et* 26. *et tom*. 6. *tract*. 5. *disp*. 3. *Azorius tom*. 2. *institutionum moralium lib*. 11. *cap*. 5. *q*. 9. *Bellarminus tomo* 1. *controuersiarum libro* 5. *de Romano Pontifice, cap*. 8. et in responsione ad Apologiam Iacobi Regis Angliæ, quæ habetur *tom*. 7. *operum eiusdem Cardinalis pagina* 701. *et sequentibus* §. 8. *quod;* et in tractatu de potestate Summi Pontificis in temporalibus aduersus Gulielmum Barclaium, et habetur tomo 7. pagina 830 et sequentibus, vbi citat vltra septuaginta insignes Authores, quorum multi fuerunt non solum magna sapientia, sed etiam sanctitate, et miraculis præditi, et alij magnis dignitatibus, alijsque titulis ornatissimi, quos ego hic breuitatis causa omitto. Vnus pro multis sufficit Angelicus Doctor ibi citatus cum suis discipulis. Accesserunt postea alij, vt Guilielmus Rossæus in libro de justa Reipublicæ Christianæ in Reges impios, et hæreticos authoritate: Sebastianus Cæsar in Relectione de Ecclesiastica Hierarchia 1. parte disput. 1. de Romano Pontifice §. 5. vbi summa eruditione, solidaque subtilitate nostrum demonstrat intentum. Franciscus Valascus citatus 1. p. §. 1. 2. et 3. Franciscus de Mendoca tomo 2. in librum 1. Regum cap. 8. n. 5. in expositione literæ §. 15. Andreas, Eudæmon Ioannes in Epistola monitoria ad Ioannem Barclaium, quæ habetur tomo 7. operum Bellarmini pagin. 998. et sequentibus vsque ad 1027. Doctor Antonius de Souza in sua Lusitania liberata proæmio 2. §. 2. nu. 23. et sequentibus, Franciscus Freyre in Apologia veritatis, et iustitiæ num. 23. et sequentibus citans iura, et Doctores.

75 Veniendo ergo ad rationes suppono primo tam-

tamquam certum inter Doctores Catholicos, principatum polyticum debito modo introductum, iustum, et legitimum esse: indebito autem modo introductum esse potestatem per tyrannidem vsurpatam quæ quidem est iniqua violentia, non iusta potestas, cum iusto, et vero titulo careat. Hæc suppositio quoad vtramque partem colligitur ex varijs sacræ scripture locis. Prouerbiorum 29. num. 2. *in multiplicatione iustorum lætabitur vulgus, cum impij sumpserint principatum, gemet populus:* et num. 4. *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam:* et num. 14. *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur;* et sapientiæ 6. num. 26. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* In his, et similibus testimonijs supponitur Reges temporales esse veros, et legitimos principes, seu dominos. Et ideo Sanctus Petrus in Epistola 1. canonica, cap. 2. numero 13. præcipit fidelibus, vt eis obediant. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siuè Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus tamquam ab eo misis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia sic est voluntas Dei* Et infra nu. 17. *Deum timete, Regem honorificate.* Et Sanctus Paulus ad Romanos 13. nu. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et infra num. 5. *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nullus autem tenetur obedire propter conscientiam nisi habenti legitiman potestatem præcipiendi. In quo sensu debet intelligi illud Sancti Bernardi in tractatu de præcepto, et dispensatione, vbi sic. *Siuè Deus, siuê homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et Sanctus Clemens Romanus libro 4. Constitutionum cap. 12. *Estote subiecti*

omni

omni Regi, et poteſtati in ijs, quæ Deo placent tamquam miniſtris Dei, et impiorum iudicibus. Et infra. *Exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum, &c.* Et addit. *Hæc enim eſt Dei Lex;* et Sanctus Hyeronymus epistola 4. declarat hanc veritatem exemplis brutorum animalium dicens. *Muta etiam animalia, et ferarum genus Ductores ſequuntur ſuos : in apibus principes ſunt, grues vnum ſequuntur ordine literato, imperator vnus, iudex vnus prouinciæ, &c.* Ratio denique est, quia non solum licitus, et iustus est politicus principatus, sed etiam necessarius ad conseruationem Reipublicæ. Vnde Prouerbiorum 11. num. 14. sic dicitur. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet.* Et Ecclesiast. 19. num. 16. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt.* Quia non satis est, habere principem, nisi sit etiam bonus, et aptus ad gubernandum. Et Deus per Isaiam cap. 3. num. 4. in pænam cominatur. *Dabo pueros principes eorum, et effæminati dominabuntur eis.* Vnde patet necessarium esse ad conseruationem Reipublicæ aliquod caput, principem, vel gubernatorem. Quod explicari potest exemplo humani corporis, quod sine capite conseruari non potest, et nauis, quæ sine gubernatore peribit, sicut, et exercitus sine Duce: et alijs exemplis. Videri potest Suarez citatus libro 3. capit. 1.

76 Suppono secundo tamquam certum inter Doctores Catholicos, et commune. Theologorum axioma, nullum Regem, vel Monarcham habere, vel habuisse immediate à Deo, vel ex diuina institutione politicum principatum, sed mediante humana voluntate, et institutione, loquendo de lege ordinaria. Ita Soarez in defensione fidei Catholicæ libro 3. cap. 2. vbi citat iura, et Doctores, quos breuitatis causa omitto.

omitto. Probari potest hæc ueritas primo ex Sanctis Patribus citatis à Soario citato, qui sæpe asserunt hominem à Deo fuisse creatum ingenuum, et liberum, solumque accepisse à Deo immediate potestatem dominandi brutis animalibus, et inferioribus rebus. Dominium autem hominum in homines per humanam voluntatem, vel per aliquod peccatum, vel aliquam aduersitatem fuisse introductum. Et quod Sancti Doctores de libertate vnius cuiusque hominis, et seruitute illi opposita dicunt eàdem ratione in persona mista vnius communitatis, Reipublicæ vel Ciuitatis humanæ verum habet. Quia prout à Deo immediate regitur, iure naturæ libera est, et sui iuris: quæ libertas non excludit, sed potius includit potestatem regendi se ipsam, et imperandi membris suis; excludit autem subiectionem ad alium hominem, quantum est ex vi soliùs naturalis iuris, quia nulli hominum Deus immediate dedit talem potestatem: donec per institutionem, vel electionem humanam in aliquem transferatur, In quo sensu intelligi debet celebris illa Sancti Augustini sententia libro 3. confessionum cap. 8. vbi sic. *Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis.* Per quæ verba significat regium principatum, et obedientiam illi debitam, fundamentum habere in pacto societatis humanæ ac proinde non esse immediate ex institutione Dei, quia humanum pactum humana contrahitur voluntate, vt omnes fateri debent.

Secundo probatur. Nam illa potestas dicitur esse in aliquo immediate à Deo, quæ per solam Dei voluntatem, vel ex vi solius rationis naturalis, vel alicuius diuinæ institutionis ad illum peruenit: sed potestas regia nullo ex his modis data est. Regibus à Deo,

Deo loquendo de lege ordinaria: ergo, &c. Minor probatur. Non per specialem Dei voluntatem, quia talis voluntas non est reuelata, vel nota facta hominibus. Nec etiam ius naturale per se dictat, hanc potestatem debere esse in Regibus. Nec denique institutio, vel determinatio diuina, vel translatio huius potestatis à Deo, immediate facta est ad Reges, vt ex vsu ipso clarè constat. Alioqui talis institutio immutabilis esset, et omnis mutatio in ea facta ab hominibus esset iniqua. Imo omnia Regna, Respublicæ, et Ciuitates deberent eandem institutionem seruare, non enim esset maior ratio de vna, quam de alia, quia vna Respublica non magis, quam alia talem accepit institutionem ex diuina ordinatione. Restat ergo, vt hæc institutio sit humana, et ab hominibus immediate facta: ergo per homines immediate datur potestas Regibus, quorum dignitas per illam institutionem creata est, mediate autem dicitur à Deo data hæc potestas Regibus, quia Deus illam dedit immediate populo, qui eam in Regem transtulit, et ipse Deus consentit huic translationi à populo factæ, illamque approbat, et seruari vult. Quemadmodum lex humana immediate obligat ex voluntate principis humani ferentis illam, mediate vero obligat etiam ex voluntate Dei volentis, vt legitimis principibus obediatur.

Tertio probatur, quia est clarum indicium huius veritatis, vt regia potestas non sit æqualis in omnibus Regibus, neque cum eisdem proprietatibus, durationis, et successionis, &c. Nam in quibusdam Regibus est potestas Monarchica, in alijs vero cum mistione Aristocraticæ vel dependentiæ à senatu etiam quoad vota decisiua, vel definitiua, saltem in aliquibus

bus casibus. Aliquibus etiam Regibus data est potestas non solum quoad suas personas, sed etiam quoad filios, vel hæredes, ita ut possint hanc dignitatem ad filios, et nepotes transmittere, vt contingit Regibus Hispaniæ, et Franciæ, &c. Alijs vero datur pro suis personis tantum, et non pro filijs, ita ut vno Rege mortuo, alter possit eligi, qui non sit filius illius Regis defuncti: sic fit in Imperio Romano, et in Regno Poloniæ, &c. ergo signum est hanc institutionem esse humanam immediatam, quæ potest recipere totam illam varietatem. Cum ergo dignitas, vel potestas Regia proueniat ab hominibus, ipsi nunquam transferunt, nec transferre possunt talem potestatem in Reges, vt non maneat in ipsis hominibus quasi in habitu, vt in aliquibus casibus possint eam reuocare, et exercere. Vt si Rex suam potestatem verteret in tyrannidem, abutendo illa in manifestam Reipublicæ perniciem: tunc enim Regnum, vel Respublica vti poterit hac sua potestate ad se defendendum, numquam enim se totaliter priuauit hac potestate, est enim de iure naturali potestas in Republica ad se defendendam contra omnes iniustos inuasores, et ad alium principem, vel modum se gubernandi, et conseruandi eligendum. Esset enim contra lumen naturale asserere non posse Rempublicam mutare principem, quem ad suam conseruationem elegit, quando ipse non conseruat, sed destruit ipsam Rempublicam per tyranidem, vel hæresim, &c. quo iure vsi sunt multi populi, Respublicæ, et Regna, vt mox ostendemus. Vide Suarez in defensione fidei Catholicæ aduersus sectæ Anglicanæ errores lib. 3. cap. 2. et 3. vbi hanc doctrinam laté prosequitur, et respondet ab obiectiones Iacobi Regis Angliæ, et

aliorum

aliorum hæreticorum, et libro 6. cap. 4. numero 15. vbi sic ratiocinatur loquendo de Rege tyranno solum in gubernatione, et non in possessione Regni. *Hæc difficultas supponit contra Regem supremum etiam in temporalibus posse depositionis pœnam, et priuationis Regni sententiam ferri, quod Rex Angliæ audire detrectat, est autem verissimum, et ex principijs positis in libro 3. euidenter colligitur, et in sequentibus iterum dicetur, &c. Nam in Republica solum est potestas per modum defensionis necessariæ ad conseruationem suam, vt supra libro 3. cap. 3. dixi. Ideoque, si Rex legitimus tyrannicè gubernet, et Regno nullum aliud subsit remedium ad se defendendum, nisi Regem expellere, ac deponere, poterit Respublica tota publico, et communi consilio ciuitatum, et procerum Regem deponere, tum exui iuris naturalis, quo licet vim vi repellere, tum quia semper hic casus ad propriam Reipublicæ conseruationem necessarius, intelligitur exceptus in primo illo fœdere, quo Respublica potestatem suam in Regem transtulit.* Hæc Suarez totidem verbis, et citat ibi Sanctum Tomam secunda secundæ quæstione 42. art. 2. et 3. et alios Doctores.

Probatur quarto. Est pactum expressum, vel tacitum inter Principes, et Rempublicam, vt ipsi procurent, quantum in se est, conseruare Rempublicam in pace, et iustitia; et hæc teneatur illis obedire, tributum dare, &c. illos enim in principes elegit, ea lege, et conditione, vt sic faciant, aliter poterit se in libertatem ponere, et illos deponere, nisi pactum seruent, cum teneantur vtrimque illud seruare, naturali, et diuino iure, vt constat ex varijs fundamentis, quæ afferri possunt, sed sufficit illud Ezechielis cap. 17. num. 16. vbi sic loquitur Deus. *Qui soluerit pactum, numquid effugiet? Viuo ego dicit Dominus Deus: quoniam*

quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, et soluit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. In quem locum Sanctus Hieronymus sic ait. *Ex quo discimus, etiam inter hostes seruandam fidem, et non considerandum cui, sed per qnem iuraueris. Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, et deceptus est, te, qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo imo iam amico, es molitus insidias.*

Probatur quinto, et vltimo; nam quilibet particularis, vt vitam tueatur suam potest quemlibet iniustum inuasorem é medio tollere, saltem cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo similiter tota Respublica poterit iniustam inuasorem etiam occidere, vel deponere. Antecedens supponitur tamquam certissimum, non solum à Christianis, sed etiam à Paganis, et in vtroque iure reperitur expressum. Ita Sanctus Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. et omnes fere Theologi, et vtriusque iuris Doctores. Ex Paganis accipe Marcum Tullium Romanæ Eloquentiæ facile Principem, qui in defensione Milonis, à quo interfectus est Clodius, sic rationatur. *Si tempus est vllum hominis necandi, quæ multa sunt, certé illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur.* Et in càdem oratione. *Hoc, et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris ipsis natura præscripsit, vt omnem semper vim quacumque ope possunt, á capite, á corpore, á vita sua propulsarent.* Ex Poetis lege saltem Ouidium lib. 3. de arte, vbi sic:

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem ;
Armaque in armatos sumere iura sinunt.

Vbi claré et præclaré Ethnici homines iuris naturæ vim enucleant.

77 Nonne vtriusque iuris ciuilis et canonici, imo et naturalis axioma est: *Vim vi repellere licet?* Omnino est. *L. vt vim ff. de iustitia, et iure. L.* 1. *per tot. ff. de vi, et vi armata. L. scientiam § qui cum aliter ff. ad leg. Aquil L. is qui aggressorem, et L. siquis percussorem. C. ad leg Cornel. de Sicar. et Capit. Significasti* 2. *de homicidio, capit, si vero de sent, excommunicationis, et cap. delecto eodem titulo, libro* 6. vbi vtriusque iuris Doctores passim.

78 Deinde anima pretiosior est corpore, et omnibus rebus est præferenda tamquam magis pretiosa. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Vt ait Christus Dominus Mat. 16. num. 26. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Vt ibidem dicitur: ergo si homines pro vita corporali, et bonis temporalibus tuendis licite possunt vim vi repellere, multo magis id poterunt pro vita spirituali animæ et bonis æternis postea fruendis. Quæ bona spiritualia conantur hæretici Principes auffere Catholicis hominibus cogendo illos, vt fidem Catholicam deserant, et hæreses amplectantur.

79 Ad exempla pergo multorum Regnorum, et rerumpublicarum quæ Reges, et Principes ob tyrannidem in possessione, vel gubernatione, vel alia demerita deposuerunt, vel occiderunt, omittens illos, quos Deus in hac vita manifeste punuit, reseruando illis in altera vita æternas pænas apud inferos sustinendas; de quibus etiam pauca obiter dicam. Et de sumò exempla ex diuinis, et humanis literis: ex Paganis, et Christianis hominibus, vt appareat hoc esse quasi de iure ipso naturæ, et omnibus fere nationibus commune, cum vim vi repellere omnes,

nes leges, omniaque iura permittant.

80 Primum ergo exemplum sit ex libro 2. Paralipomenon cap. 26. vbi legimus Oziam Regem, cum Sacerdotum officium vsurparet, ab Azaria Sacerdote et Pontifice fuisse de templo eiectum, et cum propter idem peccatum lepra percussus à Deo fuisset, coactum etiam fuisse ex vrbe discedere, et Regnum filio renunciare: cum tamen antea bonus, et fidelis Rex esset, vt in capite citato narratur. Hoc exemplum bene potest accommodari Henrico Octavo Regi Angliæ qui anno 1535. per tyrannidem, se nominari voluit caput Ecclesiæ in temporalibus et spiritualibus, vsurpans officium Summi Pontificis, et aliorum Episcoporum. Quare lepra, idest hæresi infectus est, fuitque hæreticus vsque ad mortem; lepra enim in sacris literis significat etiam hæresim, vt Sanctus Augustinus, et alij interpretes docent.

81 Secundum exemplum habemus libro 2. Paralipomenon cap. 23 vbi cum Athalia Regina tyrannicé occupasset Regnum, et promoueret cultum Baal, Ioiada Pontifex conuocans centuriones, et milites, iussit eis, vt Athaliam interficerent, quod et fecerunt: et pro ea Ioas Regem creauit. Duplex ergo causa huius depositionis, et occisionis Athaliæ fuit, tyrannis, et falsa religio, seu idololatria, vt ex sacro Textu colligitur. Hoc etiam exemplum Athaliæ rectè applicari potest Elisabetæ Reginæ Angliæ, quæ tyrannicè occupauit, et gubernauit Regnum 44. annis, hæreses promouit, et Catholicam fidem, et Religionem impugnauit: tandemque obijt, et ad inferos abijt die 23. Martij anno 1602. vt nonnulli scribunt, quamuis alii dicant obijsse die 4. Aprilis anno 1603.

82 Nonnulla alia exempla in sacris literis expressa

pressa breuiter tango. Ioas Rex, qui per tyrannidem, sacrilegium et ingratitudinem interfecit Zachariam Sacerdotem filium Ioiadæ Pontificis, à seruis suis, ob eam causam, occissus est, regioque sepulchro priuatus, quippe qui non vt bonus Rex, sed tamquam malus tyrannus operatus est. 2. Paralipomenon 24. Amafias Rex etiam Iudæ, cum primo esset fidelis, bonusque Princeps, postea factus idololatra, interfectus est à suis. 2. Paralipomenon cap. 25. Amon Rex, qui malum coram Deo fecit, et immolauit seruiitque idòlis, à suis est occisus. 2. Paralipomenon capit. 33. Denique in libro iudicum cap. 3. commendatur Aod, qui occidit Eglon Regem Moabitarum, qui per tyrannidem in Israele dominabatur.

83 Hæc exempla ex sacris literis sint satis: omitto alia breuitatis causa, et conuolo ad exempla humaniorum literarum, Paganorum, et Christianorum. Certé populus Romanus, ob insolentiam, superbiam, et scelera Regum aliquorum, præsertim Tarquinij superbi, et Sexti Tarquinij eius filij, qui Lucretiæ fæminæ noblissimæ stuprum intulit, rei indignitate, et Lucij Bruti oratione permotus Reges expulit, seseque in libertatem vindicauit. Cum regnatum antea Romæ à Regibus esset annos prope 245. et inde bini quotannis Consules creati sunt. Sic Titus Liuius. Lucius Florus, Horatius Tursellinus, et alij historici narrant. Post multum vero temporis cum Romana Respublica ab imperatoribus gubernaretur, multi ex illis tam Pagani, quam Christiani, ob sua demerita, imperio, vitaque fuerunt priuati. Nam Iulius Cæsar primus Imperator, cum antea esset magna rerum gestarum gloria insignis, postea ob iniustam Imperij occupationem, à Bruto, Cassio, cæterisque coniuratis

ratis in curia apud Pompei theatrum, tribus et viginti plagis confossus et interfectus est. Quod factum non solum Marcus Tullius, sed etiam Sanctus Thomas in libro 2. sententiarum distintione vltima, q. 2. art. 2. in corpore, et ad tertium, et libro 2. de regimine Principum capit. 6. et alij viri docti, et Christiani approbant.

Tiberius Nero etiam initio sui principatus bona indicia moderati et boni Principis ostendit, ideoque celebratur eius celebre dictum. *Boni pastoris esse tondère pecus, non deglubere.* Cæterum Germanico veneficijs extincto, metu solutus mores soluit: et in omne ruit crudelitatis genus. Drusum Cæsarem ex se genitum affecti Regni suspectum veneno sustulit. Neronem, ac Drusum Germanici filios, nepotes suos fame necauit. Demum oblitus imperij veneri intemperanter indulget. Ad vltimum delicijs confectus ad Misenum extinguitur, non sine suspicione veneni.

Caius Caligula primò quidem non indignum se Germanico patre, populique Romani fauore præbuit. Sed breui tyrannus extitit Tiberio immanior: in sæuitiam, et luxuriam præceps, neque ab amicorum coniugibus, nec à sororibus suis temperauit. Insigne odium eius in Romanos nefaria vox illa sua satis ostendit. *Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet.* Ad extremum eó processit dementiæ, vt diuinos honores sibi arrogaret, Romæ, alijsque in locis templa dedicando. Cæterum nouus Deus quarto imperij anno interficitur à suis, ferro per obscæna adacto, vt causa cædis extaret.

Nero crudelis et pessimus homo proculdubio fuit. Maiestatis immemor in scenam non modo tra-

gædus,

gædus, sed etiam Citharædus prodijt; nullam vestem bis induit; piscabatur rete aureo. Numquam curribus minus mille iter fecit, soleis quidem mulorum et equorum argenteis. Auiditas luxui par. Stupenda illa sua vox fuit. *Hoc faciamus ne quis quicquam habeat.* Neroniana Crudelitas abiit in prouerbium. Agripinam matrem, Octauiam vxorem, alios cognatione sibi proximos, et Senecam præceptorem suum, Lucanum Poetam, aliosque probos viros necauit. Magnam vrbis partem incendit, et incendij culpam transtulit in Christianos, quos primus Romæ insectatus. Petrum, et Paulum Apostolorum Principes morti tradidit. Nec multo post ipse mortalibus immortalibusque inuisus, cum à senatu, populoque Romano quæreretur ad necem, in se ipsum impias iniecit manus, officium carnificis exercens.

Sergius Galba Cæsar ab exercitu creatus Neroni successit. Sed nimia eius seueritas, et crudelitas breve fecit imperium. Nam Othonis Syluij insidijs mense primo sui principatus iugulatur.

Otho Syluius, inuaso Imperio, haud diuturnior eo, quem substulerat, Cæsar fuit. Quippe à Vitellio, qui à Germanicis legionibus Imperium acceperat, ad Cremonam leui prælio victus voluntariam mortem opetijt, se pugione confodiens.

Vitellius pueritiam, primamque adolescentiam inter scorta egit. Sequenti quoque ætate, alijs criminibus contaminatus est. Castra ingressus nihil cuiquam poscenti negauit, et reis morte dignis, supplicia dimisit. Quare vix mense transacto, subito á militibus imperator est consalutatus. Centum et viginti, quorum libellos Othoni datos inuenerat ex poscentium præmia, ob editam operam in cæde Ser-

gij

gij Galbæ, conquiri, et supplicio affici mandauit. In itinere ritu triumphantium vectus est. Rapinas, et petulantiam militum in iocum vertit. Vtque campos, in quibus pugnatum est, adijt, abhorrentes cadauerum tabem, detestabili voce confirmare ausus est. *Optime olere occisum hostem, melius ciuem.* Vrbem denique introiuit, ferroque succintus inter signa, et vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis comilitonum armis. Magis deinde ac magis omni diuino humanoque iure neglecto, pontificatum maximum cæpit. Luxuriæ, vino, comessationibus, et seuitiæ fuit valde deditus. Nobiles viros condiscipulos, et æquales suos vario genere fraudis occidit. Denique á Vespasiani ducibus, et militibus raptatus multo cum dedecore per vrbem, religatis post terga manibus, iniectoque ceruicibus laqueo seminudus tractus est, multis vociferantibus, et exprobantibus. Vnam tamen vocem non degenerem edidit, cum Tribuno insultanti dixerit. *Tuus imperator fui.* Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus est et iugulatus præcipitatur in Tyberim, mense Octauo principatus.

Domitianus Vespasiani filius. Titi frater imperator varius virtutibus, vitijsque fuit. Ad extremum Neroni similior, quam Tito euasit. Cæterum fraternæ laudis æmulator popularem se, et iustitiæ tenacem præbuit. Magistratus vrbanos, et prouinciarum præsides adeó in officio continuit, vt neque modestiores vnquam, nec iustiores extiterint. Calumniatores maximis repressit pænis. Ferebatur eius vox. *Princeps delatores non castigans, irritat.* Probrosis fæminis lecticæ vsum, et capiendi legata ius ademit. Senatorem qui saltandi studio tenebatur, senatu mouit,

mouit, ad vltimum humano fastigio non contentus ruit. Primus imperator Dominum, ac Deum se appellari iussit. Inde in rabiem, et crudelitatem versus senatorum complures leuissimis de causis interemit, et Christianum nomen afflixit. Eius tempore Ioannes Euangelista in Pathmon insulam relegatus fuit. Cletus, et Anacletus Summi Pontifices pro Catholica Christi Religione sunt interfecti. At ipse Cæsar 15. principatus anno, à suis, ob sua demerita interemptus est. Et qui diuinos honores arrogauerat, humanis caruit.

Commodus ob crudeles, et indignos Augusto mores á suis inuisus strangulatur anno 13. imperij.

Iulianus Didius principatum male partum, male perdidit. Nam senatus abrogatum illi Imperium Septimio Seuero detulit: cuius iussu Didius occissus est. Huius Didij fraude Ælius Pertinax bonus Imperator à militibus iniuste fuit occissus.

Valerianus Augustus, ab senatu appellatus cum Galieno filio Imperium gessit insigni Christianorum Clade, quæ plurimos martyrij gloria condecorauit, maxime Cyprianum Carthaginensem Episcopum, et Xystum secundum Summum Pontificem, qui Laurentium Diaconum ad idem mortis genus suo accendit exemplo. Ceterum Valerianus septimo Imperij anno sentit vltorem Deum. Nam in bello Persico à Sapóre Persarum Rege victus, captusque ductus miserabili seruitute apud hostes cousenuit, quippe Rex barbarus nimia fortuna elatus equum conscensurus Valeriani Augusti dorso vtebatur pro scabello ; adeo nulla humana maiestas ab vltimo etiam ludibrio tuta est. Similis omnino infelicitas narratur de Romano Diogene Græco Imperatore, qui collatis

in

Asia cum Turcarum Sultano signis, victus in potestatem barbari hostis deuenit, à quo proculcatus pedibus est. Imo ascensuro in solium, descensuroque barbaro Regi Augustus pro scabello seruiebat. Baiazetes etiam Turcarum Rex à Tamerlane Tartarorum Rege victus, et captus est, et in cauea ferrea ad ludibrium reseruatus. Cænante Tamerlane, Baiazetes catena aurea collo inserta inter canes sub mensa cibum capiebat: et Tamerlani equum conscensuro substratum tergum præbebat, adeo barbarè barbarus Rex à Rege barbararo tractabatur. Galienus etiam infelicissimum sortitus est finem.

Hæc exempla Imperatorum Gentilium, seu Paganorum sint satis: aliqua etiam Christianorum Imperatorum hic referre libet.

84 Philippus pater, à quo dolosé interfectus est Goardianus Imperator, accepto Imperio, Philippum filium socium Imperij fecit. Ceterum sexto ferme anno Decij dolo necati principatum scelere partum, pari scelere amiserunt. Multi authores sunt hos primos Romanorum Imperatorum Christianos fuisse.

Iulianus Imperio potitus Christianam Religionem deseruit, ideo Apostatæ cognomen obtinuit, multis modis, et fraudibus Catholicum nomen afflixit. Sed non diu rei Christianæ vexatorem Deus tulit. Secundo enim Imperij anno, cum bellum Persis intulisset, Ducis fraude in insidias cecidit, non sine magna suorum strage. Sunt qui narrant, sagitta de cælo missa transfixum exclamasse: *Vicisti Galilæe.* Sic enim Christum per ludibrium appellabat. Impius tamen impie occubuit.

Valens Imperator, et hæreticus Arrianus Catholicum nomen tragice vexauit, et Basilio Magno infensus

fenſus Monachos à ſpiritualibus exercitijs abductos militaribus addixit miniſterijs. Qui etſi, ſeras, non tamen leues Numini dedit pænas. Nam cum barbaris acie pugnaret, amiſſo exercitu, ſagitta ſaucius, cum aufugiſſet, ſeſeque in humile tugurium recepiſſet, ibi à barbaris depræhenſus viuus exuritur. Inſigne documentum memoris diuinæ iræ in impium Principem, poſtquam tenuit Imperium quatuordecim annos.

Anaſtaſius Dicorus Imperator hæreticus Eutychianus malus male perijt. Fama eſt ante mortem horribilis viri ſpeciem ei apparuiſſe, et librum manu tenentis, et ſimul increpantis in hunc modum. *En ob tuam improbitatem quatuordecim vitæ annos deleo.* Mox fulmine ictus interijt, vt appareat improborum vitam Dei nutu ſæpe fieri breuiorem: Cæleſtis iræ memorandum exemplum.

Phocas tyrannus verius quam Imperator male partum peſſime geſſit Imperium, homo crudelitate, ebrietate, et libidine infamis. Mauritium Imperatorem iniuſtiſſime occidit, coniuge, et liberis prius ante oculos eius trucidatis. Deinde Phocas peſtis humani generis, poſt multas Imperij prouincias amiſſas immemor hoſtium, furore præceps ciues hoſtiliter vexabat. Heraclius tamen Aſiæ præfectus procerum rogatu, tyranno mouet bellum, et acie victum capit, eius collum pedibus calcat, ac tandem obtruncat octauo tyrannidis anno.

Philippus Bardanes Imperator ſextam Synodum orthodoxam, quantum in ipſo fuit, abrogauit. Sed non impune, nam tertio Imperij anno oppreſſus à ſuis, et oculis captus in exilium mittitur.

Nicephorus Logotheta Imperator Græcus, homo impro-

improbitate, ac perfidia insignis, et auaritia infamis. Nam pluribus thesauris per fraudem potitus nouas coaceruandæ pecuniæ excogitauit vias. Quicumque é tenui re ad magnas opes peruenissent; hos thesauros inuenisse criminans fortunis omnibus exuebat. Dum ergo ille vrbem Regiam his artibus populabatur, Saraceni reliquas Asiæ, et Bulgari Thrasiam populationibus vexare cæperunt. Nicephorus pacem à Saracenis auro redemit, et in Bulgaros exercitum duxit, conflixit, et victos castris exuit. Sed victorem securitas vicit. Nam ob rem bene gestam inflatus imperator omnes conditiones pacis hostibus negauit. Quare Crumus Bulgarorum Dux, desperatione audaciam stimulante noctu ex improuiso castra Græcorum aggreditur, et magna edita illorum strage, Nicephorum ipsum obtruncat, et eius caput stipiti infixum diu spectaculo, et ludibrio barbaris fuit. Documentum ad posteros effugium hostibus vltro aperiendum.

De Imperatoribus scripserunt Caius Suetonius, Cornelius Tacitus, Horatius Fursellinus, Ioannes Baptista Egnatius, Franciscus Thamara, et alij multi, ex quibus nos supradicta exempla sumpsimus. Nunc ad Reges.

85 Itali multos Principes Regno priuarunt. Nunc nobis pro exemplo sufficit vnus, quem Deus Regno, et vita priuauit. Iste fuit Theodoricus Rex Italiæ, et hæreticus Arrianus, qui Symachum, et Boetium viros Catholicos, et consulares, ac sapientiæ fama illustres, primúm exilio, inde morte multauit. Ioannem Summum Pontificem perpetuo carcere maceratum extinxit, et multos alios iniustè morti tradidit. Verum nec sera, nec obscura cælestis ira Numinis fuit.

Cænan-

Cænanti enim impio Regi, forte caput piscis ingentis appositum erat. Id Symachi ab se nuper occisi caput visum est, toruis oculis, exertis que dentibus exitium minitantis. Horrenda hæc species tantum illi terroris incussit, vt insolito iactatus horrore moreretur, suam in repræsentandis supplicijs præcipitem crudelitatem incusans. Tursellinus in Epitome historiarum lib. 6. pag. 285. et alij.

86 Germani Carolum Crassum, vt pote invtilem Imperio, Regio nomine exutum, Arnulpho eius consobrino in tutelam tradiderunt. Vnde Crassus ex tam insigni contumelia tantum mæroris exhausit, vt paulo post migrarit é vita. Ioannes Baptista Egnatius lib. 3. pag. 47. Tursellinus lib. 7. pag. 373. et alij. Vincislaus etiam, ob suam inertiam, et vitia ab Electoribus Germaniæ, et alijs viris principibus Francofurti, consentiente Bonifacio 9. Summo Pontifice Imperio priuatus est. Ioannes Azorius tomo 2. Institutionum moralium lib. 11. cap. 5. q. 14, pag. 1102. Tursellinus libro 9. pag. 550. Bobadilla in politica lib. 5. cap. 1. num. 136. et alij.

87 Franci consuluerunt Zachariam Summum Pontificem: quis nam regnare potius deberet, ignarus, et negligens Princeps, an vero strenuus, industrius, et diligens? Respondit Papa strenuum, et diligentem. Statim Franci, Childerico é Regno deiecto, ob ignauiam, hoc est, quia erat ad gubernandum invtilis et ineptus, Pipinum Regem crearunt. Ioannes Azorius supra citatus pag. 1102. et cap. alius 15. q. 6. vbi glossa.

88 Hispani Petrum cognomento crudelem Legionis, et Castellæ Regem, quia in suos subditos desæuire solebat, communi procerum, et popularium consen-

consensu, de Regno expulerunt, et in eius locum posuerunt Henricum eius fratrem, licet iste fuerit nothus. Ioannes Marian de rebus Hispaniæ lib. 27. cap. 8. et Ioannes Azorius tomo 2. lib. 11. cap. 5. q. 3. pag. 1101. et alij historici.

89 Lusitani deposuerunt Regem suum Sancium huius nominis secundum, ob remissionem et negligentiam eius in gubernatione Regni, et suffecerunt Alphonsum illius fratrem Comitem Bononiæ. Duardus Leonis in libro de vera Regum Portugalliæ genealogia, pagina 10. Ioannes Azorius tom. 2. lib. 11. cap. 5. q. 14. pag. 1102. Antonius Vasconcellius in Actibus Regum Lusitaniæ pag. 61. et sequentibus in editione Antuerpiana, et alij.

90 Scoti non semel in hac re, sed sæpe tribuerunt exemplum. Nam in illo Scotiæ Regno multi Reges, (quorum aliqui Pagani, et alij Christiani fuerunt) ob sua scelera, à nobilibus, et popularibus vita, et dignitate fuerunt priuati, ut scribunt Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis in historia de Rebus, et moribus Scotorum, Geórgius Bucananus Scotus in historia rerum Scoticarum lib. 4. et sequentibus, Ioannes Azorius tomo 2. lib. 11. cap. 5. et alij. Ego hic nominabo aliquos exempli gratia, omittens multos alios breuitatis causa.

Nothatus Rex quintus in ordine Regum Scotiæ, quia ciues summos, et infimos passim mutilatione bonorum, exilio, morte, et alijs suppliciorum generibus ita iniustè afflixit, vt nihil ad summam immanitatem sibi reliquum faceret, tandem à suis obbtruncatur, postquam crudeliter, et auare viginti annis Regnum administraret. Iste Paganus fuit. Dardanus Rex 20. cum gubérnare incepisset, nemo ante illum ma-

maiore cum expectatione Regnum inijt: nemo spem de se conceptam vehementius fefellit. Quippe ante susceptum Imperium multa liberalitatis, temperantiæ, et fortitudinis dedit exempla. Ceterum triennio vix transacto, in omnia vitiorum genera præceps abijt. Probos, et prudentes viros, qui patri á Consilijs fuerant, quod eius aduersarentur nequitiæ, ex aula expulit. Adulatores, et nouarum voluptatum inuentores in præcipuo honore habebat. Cordorum propinquum suum, qui iuri, et æquitati administrandæ præfectus fuerat sub Rege superiori, molestum suarum voluptatum interpellatorem occidit, et intra paucos dies plerique alij, diuitijs aut virtute præstantes, fraude circumuenti periēre. His, et alijs facinoribus diuulgatis, magno Consensu in Regem coniuratur, comprehenditur, occiditur, eius caput ad ludibrium proponitur, et Corpus in cloacam proijcitur, cum regnasset annos quatuor. Iste etiam paganus fuit.

Luctacus 22. Rex, et Paganus, homo flagitiosissimus, quippe spreto maiorum consilio, se totum vino, et scortis dedit. Nullam fæminam ab eius libidine vel propinqua cum ipso cognatio, vel reuerentia legum, vel maritorum respectus vindicabat. Accessēre ad hæc inhumana crudelitas, et inexplebilis auaritia. Iuuentus quoque in peiora procliuis, facile in Regis sui mores degenerauit. Igitur cum passim omnia stupris, rapinis, et cædibus contaminaret: nec quispiam eius furori obuiam ire auderet, tandem conuentu primorum facto, multitudinis concursu vna cum scelerum administris fuit occisus; vix finito tertio Regni anno. Datum tamen honori patris optimi Corbredi, vt in sepulcrum maiorum cadauer inferretur; cæterorum corpora insepulta proiecta.

Me-

Methodius, vel Ethodius, secundus, Rex 28. Scotiæ homo prope stupidus fuit: certe languidiore ingenio, quam cui tam ferocis populi moderatio conueniret. Quo animaduerso primores collecti erga genus Optimi Fergusij Regis ea vsi reuerentia, vt homini, quantumuis ignauo, nomen quidem Regium relinquerent, præfectos autem singulis Regionibus darent, qui ius dicerent. Eorum equitate, et moderatione factum est, vt nunquam res scotica fuerit tranquilior. Nec enim delicta tantum puniebant, sed Regis auaritiam coercuerunt, populum liberando. Rex tandem vigessimo primo Magistratus anno familiarum tumultu occisus est. Iste fuit Christianus.

Athirco Rex vigessimus nonus Scotiæ, initio quidem bonus Princeps fuit, eximiæque beneficentiæ, humanitatis et fortitudinis exempla dedit. Verum cum ætate in vitia deflectens, profunda auaritia, iracundia, luxuria, inertia, omnium bonorum studia breui ab se auertit. Tandem Nathaloci hominis apprime nobilis filias constuprauit, et flagris cæsas seruis suis prostituit. Quare coniuratione nobilitatis facta, frustra se tueri conatus, a suis etiam desertus, manum sibi intulit, duodecimo Regni anno. Hic extitit finis Athirconis Regis Christiani: sit etiam finis exemplorum Regum Scotiæ nobis hic. Qui plura desiderat, consulat Leslæum, Bucananum, et Azorium supra citatos.

91 Angli Eduardum secundum Regem suum, ob suam in administratione publica inertiam, aliaque demerita Regno priuarunt, et in carcerem miserunt vbi tandem occisus est, et eius filium Eduardum Tertium, quatuordecim annis natum Regem fecerunt. Polydorus Virgilius in historia Anglica lib. 18.

Georgius

Georgius Lilius in Epitome Chronices Regum Anglorum Nicolaus Sandærus lib. 1. de Schismate Anglicano, pag. 222. in editione Romana, et alij historici. Imò hoc ipso anno Christi 1645. in quo hæc scribo, Angli hæretici Puritani, vel Caluiniani Parlamentarij atrox gerunt bellum cum Rege suo Carolo hæretico etiam, sed Lutherano, vel Protestante Quo iure, vel qua iniuria? Ipsi viderint.

92 Placet etiam breue aliquod Elogium Henrici octaui Regis Angliæ (qui tot malorum, et hæresum causa extitit) hic inserere, qui etsi à suis Anglis, nec Regno nec vita fuerit priuatus, vt multo magis quam Eduardus secundus merebatur; omnipotentis tamen Dei manum nec viuus, nec defunctus effugere potuit. Nam in hac vita infame nomen, et scelerum suorum execrabilem reliquit memoriam: et in altera vita gehennalibus flammis æternaliter fuit mancipatus. Hic ergo Henricus primó fuit Catholicus Princeps, eximiaque corporis forma præditus, nec ingenij acumen, nec indicij maturitas, et grauitas ei defuit: nec á bonis literis fuit alienus. Liberalium artium Doctores fouit, et quibusdam professoribus stipendia auxit. Episcopos Doctos, et virtuosos nominauit (vno, vel altero excepto) quorum plerique postea, regnante Eduardo, et Elizabeta, ob Catholicæ Fidei confessionem, carceres, et vincula subierunt. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum summo semper in honore habuit. Cum esset decem et octo annorum duxit in vxorem Serenissimam Principem Catharinam Catholicorum Hispaniæ Regum Ferdinandi et Elizabetæ filiam, ex qua suscepit tres filios, et duas filias, ex quibus sola Maria nata anno 1515. parentibus superstes mansit, et Philippo secundo Regi Catholico postea nupsit.

Rex Henricus, et Regina Catharina in sancto matrimonio 20. annis vixerunt. Grassante Lutheranæ hæresis incendio, Henricus catholico zelo commotus scripsit, vel scribere fecit valde doctum, et eruditum librum de septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis contra Lutherum, et alios hæreticos, qui eorundem sacramentorum numerum, et efficaciam minuere volebant. (Huius tamen libri author, vel adiutor creditur Ioannes Episcopus Roffensis vir doctissimus, Martyr inclytus, et Cardinalis eminentissimus.) Ob quod Catholicum, et pium obsequium Leo X. summus Ecclesiæ Præsul titulum defensoris Fidei Henrico contulit, (Leonis Pontificis Bulla de hac re expedita anno 1521, extat apud Sanderum lib. 1. de Schismate Anglicano pag. 225.) quem sane honorem ipse, et successores Reges iure optimo sibi conserua re poterant, si vellent in Fide Catholica perseuerare. Cum tamen religionem orthodoxam turpiter deser uerint, et hæreses amplexi fuerint, omnino indignos tam specioso titulo se reddiderunt. Vnde hoc tempore non defensores, sed offensores fidei merito dici debent.

Sed iste tantus, ac talis vir Henricus postea in omnes vitiorum gurgites incidit: tribus tamen, vel quatuor, præ cæteris vitijs, obruebatur, libidine, ebrietate, auaritia, et crudelitate, et profecto duo priora vitia dementare solent homines alioquin sapientes, iuxta verbum Dei Ecclesiastici cap. 19. *Vinum, et mulieres apostatare faciunt homines sapientes, et arguent sen satos: et qui se iungit fornicarijs, erit nequam, &c.* vt huic infelicissimo Regi accidit. De Henrici vitijs multi multa dicunt, et scribunt, ego tamen pauca hic dicam. Illius ergo libido adèo effræneta fuit, vt eo ipso

M tem-

tempore, quo pacificè cum vxore Catharina commorabatur, ex ipsius Reginæ ancillis, nunc duas, interdum tres concubinarum loco habebat, in quo peccati genere tam sui semper impotens extitit, vt mulieres paucas pulchriores viderit, quas non concupierit, et paucissimas concupiuerit, quas non violauerit. Coniecit etiam oculos in nobilem fæminam vxorem Thomæ Boleni equitis aurati, quam vt commodius haberet, eaque liberius frueretur, specie honoris Thomam in Franciam tanquam nuncium ablegauit. Thomas ante discessum vnam filiam nomine Mariam Bolenam ex coniuge susceperat. Ipso ergo absente, Rex cum præfata vxore comercium habebat, et ex ea genuit filiam, cui nomen impositum fuit Anna Bolena. Thomas post biennium è Francia rediens, cum audiuisset vxorem suam peperisse filiam, eam repudiare, vel interficere volèbat. Mulier huius rei certiorem reddidit Regem, qui strictissimè Thomæ præcepit, vt vxori parceret, et Annam tanquam filiam educaret, quod, et fecit timore correptus, et vxoris humilitate, et lacrymis commotus: mulier enim in genua procumbens rogabat virum vt sibi parceret, cum ipsa Regi (cuius filia erat Anna) resistere non valeret. Quid plura? Rex matrem, et filiam, Mariam scilicet Bolenam successiue, carnaliter, et incestuose cognouit. Et cum Henrici domus plena esset perditissimis hominibus, quales erant aleatores, adulteri, lenones, periuri, blasphemi, rapaces, et hæretici, inter quos extitit quidam insignis nomine Franciscus Brianus, et cognomine Vicarius inferni Hunc interrogauit Rex, quale peccatum, videretur matrem primum, deinde filiam cognoscere? Respondet nebulo facetus. *Tale, o Rex, quale gallinam primum deinde pullum eius*

eius galeinaceum comedere. Quod responsum cum Rex audiret, risu plenus ait, *Ne tu merito meus es inferni vicarius.* Deinde paulo post, (quod peius est) cæco Annæ Bolenæ amore ductus Rex animum induxit legitimam vxorem Reginam Catharinam repudiarè, vt Annam duceret. Et quia Clemens 7. Summus Ecclesiæ Pontifex noluit audire friuolas, et insanas causas, quas Henricus allegabat, ad hoc diuortium faciendum, apostatauit factus schismaticus, et hæreticus, statimque legitimam vxorem repudiauit, et in eius locum introduxit Annam Bolenam multiplici necessitudine sibi sociatam, huius enim sororem Mariam Bolenam prius ipse habuit concubinam, imo, et eius matrem, ex qua istam genuit Annam, quæ et filia, et pellex Henrici fuit. At, *Nomine deposito pellicis, vxor erit.* Seu vt illud disticon elarius explicat.

Iuno Iouis soror, atque vxor, verum Anna Bolena.
Et spuria Henrici filia, et vxor erat.

Aliquis forsitan desiderabit scire corporis, et animi dotes Annæ Bolenæ, cuius amore Henricus flagrauit, et ad quam obtinendam, propriam vxorem repudiauit. Fuit Anna Bolena proceri corporis statura, capillo nigro, facie oblonga, colore subflauo, quasi icterico morbo laboraret, cui dens vnus in superiori gingiuo paululum prominebat, in dextra ma nu sextus digitus agnoscebatur, sub mento etiam succrescebat turgidum nescio quid, cuius deformitatis tegendæ causa, ipsa colli, et pectoris superiora operiebat. In labijs aliquam venustatem, in facetijs, in saltandi, et fidibus ludendi peritiam habebat. Quod ad mentis imaginem attinebat, plena fuit superbiæ, ambitionis, inuidiæ, luxuriæ. Cum quindecim esset annorum, à duobus domesticis, vel familiaribus

Tho-

Thomæ Bolenæ se deflorari passa est. Mox in Gallias mittitur, vbi regio sumptu apud quendam nobilem virum educata paulo post ad palatium Regis Galliarum se contulit, ibique tam impudice vixit, vt vulgo à Gallis Equa Anglicana appellaretur. Cum vero Regis Galliarum familiaritatem ascita esset, cæpta est vocari Mula Regia. Heresi etiam Lutheranæ addicta erat: nihilominus se Catholicam esse profitebatur. Cum in Angliam reuertisset, et in familiam regiam coaptata esset, se castam virginem fingebat. Et cum sparsus esset rumor, quód Rex Henricus volebat eam ducere, passim Galli dictitabant Regem Angliæ ducturum esse mulam Regis Galliæ. Ecce quale monstrum Henricus amauit, et Marchionissam creauit, neparum nobilem fæminam duxisse videretur.

Anna cum non dum ex Henrico masculum gene raret, nec imposterum speraret: constituit experiri an alia via, quæ Regis vxor esset, etiam Regis mater effici posset. Putabat autem adulterij sui crimen eò ma gis occultandum, si potius cum fratre suo Georgio Boleno, quam cum alio rem haberet. Sed cum neque ex illo scelerato incestu assecuta esset quod maximè cupiebat, cæpit animum suum ad vagam libidinem eo vsque applicare, vt multos viros partim nobiles, et partim plebeios in regium thorum pelliceret, et carnale comercium cum illis haberet. Quæ tam effusa libido, cum Regem diu latere non posset, Annam comprehendi, et capite plecti jussit, quod factum est die 17. mensis Maij anno 1536. Deinde Georgius Bolenus Annæ frater, Henricus etiam Noresius, Gulielmus Bruertonus, Franciscus Vestonus viri nobiles, et Marcus Smetonus musicus, qui omnes ex regio cubiculo fuerant, ob incestum, et adulterium, quod

cum Anna commiserant, triduo post ipsius supplicium, securi publicè percussi meritas libidinis suæ pænas dederunt.

Hæc Anna Bolena die 8. Septembris, anno 1533. peperit filiam, cui nomen impositum fuit Elisabeta, et quamuis secundum communem æstimationem putabatur filia Regis Henrici, nihilo minus propter notissimam Annæ incontinentiam, semper dubitatum est, cuius filia esset Elisabeta, quæ tamen postea Regina hæretica, et intrusa diu fuit.

De Henrici ebrietatibus, et comessationibus pau ca dicamus. Quotidie fere à prandio erat ebrius, et per ventris nimiam repletionem, et curam, eo deformitatis excreuit, vt vix hostia ingredi, nullas scalas ascendere posset; (cum tamen in iuuentute agilis, et pulcherrima corporis habitudine esset.) Vnde domi inter mulieres, et domesticos tamquam alter Sardanapalus manebat.

Henricus adeo auarus fuit, vt (præter multa tributa, quæ suis vassallis frequenter imposuit, vnde frequentes etiam rebelliones oriebantur) omnium Monasteriorum, et aliarum ædium sacrarum bona, et reditus rapuerit: et ne vnquam repeti, vel Ecclesijs restitui possent, vniuersæ nobilitati, et alijs secularibus hominibus distribuit, partim pro seruitijs dando, et partim vendendo cogens etiam multos ad emendum, pecunia numerata, vt eos vel sic ad sui sceleris defensionem obligaret. Æstimari dificilè potest, quantam stragem monasteriorum, Templorum, et Sacrarum ædium profanus iste alter Nabuchodonosor ediderit. Vir quidam doctus, et illius temporis scriptor his duobus versiculis rem sic expressit.

Millia dena vnus templorum sustulit annus;

Quám

Quám timeo in pœnas, vix satis vnus erit.

Vtcumque tamen fuerit de numero, siue decem millia, siue plura, vel pauciora fuerint Templa, et Monasteria deuastata. Illud certè constat multa Monasteria fuisse ornatissima, et opulentissima, quæ omnia impius iste diripuit, vastauit, et solo æquauit: nec Bibliothetis, vel vllis literarum antiquitatis monumentis, aut sanctorum reliquijs pepercit, illud barbarum vsurpans dictum. *Coruorum nidos esse penitus disturbandos, nepostea iterum ad cohabitandum conuolarent.* Sic sacrilegus ille coruos vocabat Sacerdotes, et Religiosos, quorum bona malus latro rapuit. Sacra tamen præda sacrilegum prædonem pauperiorem reddidit, cum malè parta, malé perire soleant.

Crudelitas Henrici colligi potest ex multitudine nobilissimorum hominum, et aliorum ciuium suorum tam secularium, quam Ecclesiasticorum, quos iniustè morti tradidit. Post ergo interpositum diuortium cum vxore legitima, et dissidium cum Ecclesia Catholica, vix explicari potest quantam stragem nobilitatis, suorum que ciuium ediderit iste Nero paucis illis annis, quibus superuixit. Ex tabulis tamen publicis numerantur duo Cardinales, Ioannes Rossensis, et Thomas Volsæus tertiusque absens perduellionis reus declaratus (sine vlla tamen culpa) et morti adiudicatus, quæsitusque ad necem, præmio aureorum quinquaginta millia dando ei, qui mortem inferret Cardinali Reginaldo Polo eiusdem Henrici proximo consanguineo. Duces Morchiones, Comites, Comitumque filii, duodecim. Barones, et Equites aurati decem, et octo, Abbates, ac Priores Monasteriorum tredecim. Presbyteri, Monachi, et Religiosi septuaginta septem. Ex reliqua nobilitate, ac plebe

plebe fere innumeri. Nec fæminis pepercit. Nam cum Henricus sex vxores haberet, et plures concubinas, omnes fere occidit, vel repudiauit. Prima vxor legitima fuit serenissima Regina Catharina quam ipse iniustissimè repudiauit, et illa tristitia, et mærore confecta mortua est. Secunda Anna Bolena, quam cum suis mæchis occidit, vt supra diximus. Tertia Iana Se meira, quæ à Medicis, et Chirurgis iussu Regis laxata est, vt pareret, sicut fecit, et statim obijt: Henricus enim dicebat se facilè posse inuenire vxores, non ita filios. Quarta Anna Cleuensis, quam etiam Henricus iniustè repudiauit. Quinta Catharina Hauarda, quæ adulterij apud Regni ordines, ipso etiam Rege accusante, conuicta, cum mæchis suis Thoma Culpero, et Francisco Dinhamo neci data est Exemplum posteris narrandum, vt que admodum Henricus nec Deo, nec primæ vxori fidem seruauit, sic etiam duæ vxores ipsius fidem datam illi violarunt. Sexta, et vltima Henrici vxor fuit Catharina Parra vidua Baronis Latimeri, quæ cæteris, in hoc saltem, felicior extitit, quod Rex Henricus prius è vita sublatus est, quam ex vita ipsam sustulisset, vt decreuerat. Omitto multas alias fæminas primarias, et plebeias, quibus iste homicida mortem intulit.

Henricus post tot crimina patrata, sæpe admonitus, et rogatus est tum à multis Principibus, et alijs viris primarijs pijs, et Catholicis, tum etiam à Clemente Septimo, et Paulo Tertio Summis Pontificibus, vt finem suis sceleribus imponeret: cumque per tinaciter renuisset, vterque Pontifex anathematis vin culo illum ligauit, iureque Regni priuauit. Et cum adhuc infelix homo noluisset emendari, voluit condemnari.

Rex

Rex tandem properauit ad metam, vt Deo anteactæ vitæ rationem redderet. Ægrotauit ergo, et ingrauescente morbo, cum ab amicis de instanti mortis periculo admoneretur, pateram vini albi poposcit, hausit, et dixit. *Omnia perdidimus*, et verum dixit; cum temporalem, et æternam vitam perdiderit. Statimque obijt, et ad Orcum descendit ignis æterni factus pabulum. Mortuus est Henricus Londini ad quintum Kalendas Februarij ætatis suæ anno 56. Christi vero 1546. quo etiam tempore Lutherus mortuus est in Germania, et ad inferos iuit æternis tormentis cruciandus. Vtriusque hæretici mors omnibus bonis gratissima fuit. Hæc de Henrico breuiter dicta sint satis. Qui plura desiderat, legat historicos Anglos, præsertim Nicolaum Sanderum lib. 1. de Schismate Anglicano, et Edmundum Campianum in Narratione Diuortij Henrici VIII. ab vxore Catharina, et ab Ecclesia Romana discessionis.

93 Ex Regno Daniæ aliquod exemplum assignare volo. Christernus Rex Daniæ, Suetiæ, et Noruegiæ primus Regum Martinum Lutherum flagitiosum Apostatam, et hærisiarcham secutus Catholicam Religionem deseruit. Sed non multo post tribus Regnis exutus à suis, et à successore vinctus in Clathara cauea ad mortem vsque detentus. Iusté quidem, vix enim, aut ne vix quidem aliud crimen reperiri potest dignius priuatione officij, dignitatis, et vitæ, quam hæresis, quæ serpit, vt cancer, totumque Reipublicæ corpus corrumpit. Quare hæretici in omni Régno, et Republica, Catholica, et bene ordinata igne comburi solent, ne alios homines sua contagione inficiant, et æternam damnationem perducant. Tursellinus lib. 10. pag. 598.

94 Geor-

94 Georgius Poggebrachius Boemiæ Rex hæresis damnatus est, et Regnum Boemicum datum Matthiæ Hungariæ Regi. Vnde hæreticus Poggebrachius amisit etiam Morauiam, Silesiam, et aliàs Regiones, et urbes Catholicas, quæ Hungarum Catholicum, potius quam Boemicum hæreticum sequi maluerunt. Tursellinus lib. 10. pag. 578.

95 Hiberni denique nostri hac in re sua exempla habuerunt. Ipsi consulant suas historias, quas ego nunc præ manibus non habeo. Vnum tamen exemplum pono, quod nuper legi apud Richardum Stanihurstum lib. 3. de rebus in Hibernia gestis, pag. 106. Murchardus Lageniæ Rex, et illius flagitiosi Dermysij pater, cûm illam prouinciam plurimis affecisset iniurijs, et præ omnibus Dublinenses ciues tragicé vexasset, multum odij, et inuidiæ suscepit. Quare illius vrbis Decuriones mortem principis machinati, eum ad magnificas ædes officiosissimis inuitamentis duxerunt. Nec ex hac inuitatione Murchardus aliquid mali suspicatus, cum antea basilicam illam creberrime frequentauerit. Cum ergo ibi esset hilarus, varioque lepòre animum relaxaret, ciues, qui principem circumstabant, eius iugulum subito pugionibus petierunt, et confoderunt; et cadauer in contemptissimo sepulcro vnà cum cane sepelierunt. Omitto alia multa exempla Græcorum, Assyriorum, et aliarum nationum breuitatis gratia, cum hic possita satis videantur.

96 Exemplis denique finem imponamus considerando non solum in Republica sæculari, verum etiam in Ecclesiastica inueniri posse pænam suspensionis, depositionis, vel priuationis officij, et dignitatis, dummodo inueniantur culpabiles Principes, vel

 Prælati

Prælati Ecclesiastici. Certè in aliquibus Religionibus possunt deponi supremi Prælati, vel Generales. Et idem est de Episcopis in aliquibus Casibus. Et quod plus est supræmus Ecclessiæ Monarcha Summus Pontifex deponi potest, si in hæresim incideret, (quod Deus non permittat) vt Theologi, et Iurisperiti vnanimi consensu passim affirmant. Quæ cum ita sint, mirum non est quod vassalij Catholici Regibus hæreticis iniusta præcipientibus resistant, et eorum à se iugum, hæreticamque gubernationem proijciant, vt Catholici Hiberni Anno 1641. iure optimo fecerunt, et nunc faciunt, quando hæc scribo; qui tamen in cæteris (quæ non sunt contra legem Dei) Regi Carolo, et si hæretico, adhuc obediunt; cum nihilominus licite potuissent eius iugum totaliter excutere, vt ex discursu huius disputationis euidenter colligi potest. Nec minus ius ad hoc habent, quam habuerunt Catalani, quando anno 1638. recesserunt ab obedientia Philippi Quarti Hispaniæ Regis Catholici, qui eorum iura, priuilegia, et pacta non seruauit, vt ipse, et maiores promiserant, si verum est quod Catalani, libris editis, publicarunt: et sibi in Regem elegerunt Ludouicum 13. Christianissimum Galliæ. Idem sane ob eandem causam Lusitani fecerunt anno Christi 1640 sibi etiam eligentes in Regem Ioannem huius nominis quartum, antea Ducem Brigantiæ, virum plane Imperio dignum, et qui summum hæreditariumque ius ad illud Regnum habebat, vt Doctores Lusitani, alijque multi aliarum nationum in suis libris laté probant. Videri possunt Doctor Franciscus Valascus Goueanus in tractatu Analytico de iusta acclamatione Regis IOANNIS IV. Doctor Antonius de Sousa de Macedo in Lusitania liberata.

Magi-

Magister Franciscus Freyre in Apologia veritatis, et iustitiæ, et alij.

97 Vnde Catholici Hiberni, qui bellum omnino iustum, pro Religione Catholici, cum hæreticis Anglis, et Scotis (non cum Catholicis vtriusque nationis) gerunt, non sunt Rebelles, perduelles, aut criminis læsæ maiestatis Rei, &c. vt hæretici aduersarij in suis libellis infamatorijs impie cominiscuntur, et impudenter mentiuntur: quia. *Summa ratio est, quæ pro Religione facit. L. sunt personæ ff. de relig. et sumpt. fun.*

98 Opponet fortasse quispiam illud vulgare, et populare dubium, seu argumentum. Si reura ita est, vt aduersarij nostri contra iustitiam, pietatem, et fidem operati sunt, et adhuc operantur, cur iustissimus, pijssimus, et fidelissimus Deus voluit, vel permisit vt hæretici Angli nos Catholicos, et innocentes Hibernos tot annis afflixerint, et vexauerint, occidendo multos, et bonis spoliando plurimos. Respondeo primó, scelera, et peccata nostra, et parentum nostrorum has afflictiones, et vexationes meruisse: (*peccauimus enim cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Psal.* 105. Verissimum etiam est illud Ioannis Epistola 1. cap. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, veritas et in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra : fidelis, et iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*) Atque adeó iustissimus Deus voluit, vel permisit, vt sic puniremur ab hæreticis aduersarijs, sicut voluit, vel permisit, vt Hispania per 700. et amplius annos fuerit oppressa, et castigata ab infidelibus; et Francia, Germania, et multa alia Regna Catholica ab hæriticis vexata, et quasi desolata, propter peccata incólarum.

Res-

Respondeo secundo. Dato, et non concesso, quod nos Hiberni essemus adeo iusti, vt nullum mortale flagitium inter nos inueniretur, adhuc Deus iustè poterat permittere illas afflictiones, sicut permisit tentationes, et vexationes Iobi, Tobiæ, et multorum, aliorum sanctorum, iuxta illud Angeli Raphaelis ad Tob. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Tob. 12. n. 13. Præclarè S. Augustinus libr. 4. de Ciuitate Dei cap. 13. *Iustis quidquid malorum irrogatur, non est pœna criminis sed virtutis examen.* Oportebat ergo in signem constantiam nostrorum Catholicorum afflictionibus probari. Nam, vt egregiè Philosophus ille Seneca Epist. 13. dixit. *Non potest constans animus dici, qui cum fortuna non pugnauit.*

Aliquis fortasse religione tactus existimabit doctrinam huius disputationis posse nocére, vel aliquomodo preiudicare Anglis Catholicis, qui nunc in Hibernia morantur, vel in posterum morabuntur: cum in ea probatum fit Anglos ab initio iniustè possedisse Hiberniam, et bona immobilia, et mobilia eius. Huic tamen scrupuloso respondeo, nullum esse fundamentum sufficiens ita existimandi. Nam isti Catholici Angli possidentes bona cuiuscumque generis in Hibernia, bono titulo, et fide possident, nempe titulo donationis, emptionis, permutationis, dotis, vel alterius contractus liciti, et honesti. Deinde si ipsi sunt ibi, vt incolæ vltra decem, vel viginti annos, &c. tamquam vernaculi seu naturales Hiberni reputandi sunt, et eodem titulo, et iure, quo reliqui Hiberni sua bona possident, sic, et ipsi possident. Si tamen aliquis ex istis, vel ex illis aliquid iniustè possidere videatur, tunc ex iustitia in vtroque forò iudicandum erit. In cuius rei confirmationem accedunt leges Regni

Regni in vltimis Comitijs Generalibus stabilitæ, in quibus præcipitur, vt nulla distinctio fiat inter antiquos, et nouos Hibernos, sed omnes sint securi. Quod sane justè, et prudenter factum est. Certè in illa synodo generali, quæ in Hibernia celebrata est tempore duorum mensium, et dimidij (incæpit enim in Ciuitate Kilcheniæ die 24 mensis Octobris, anno 1642. et finiuit die 9 Ianuarij anno 1643) stabilitæ, et promulgatæ sunt 41. Leges, in quarum 23 lege, sic dicitur. *Vt euitentur ciuiles discordiæ, et inimicitiæ, et vt omnes exerceant suas cogitationes, et operationes in propaganda causa publica, et Catholica, nullus, qui fuerit in hac sancta vnione, erit molestandus, vel grauandus, aut eijciendus á possessione quorumcumque bonorum ab ipso possessorum per tres integros annos antecedenter.* Et in lege 24 sic habetur. *Quia totaliter odiosa est distinctio nationum inter subditos serenissimæ Maiestatis suæ: præcipitur vt omnis Catholicus, siue sit Anglus, vel Scotus, aut Gallus, qui proffessus est Catholicam Religionem ante hoc bellum inceptum, et venerit in hoc Regnum, et se in hac sancta ligauerit vnione, habebit bona sua, sicut quilibet alius Catholicus Hibernus. Imo hoc ei priuilegium concedetur, vt tertia pars tributorum, quæ alii in subsidium belli soluunt, ipsi dimittatur.* Et in 25. lege ita dicitur. *Nulla erit diferentia inter antiquos puros Hibernos, et nouos descendentes ab Anglis antiquis, vel modernis, nec inter familias procerum, seu magnatum, nec inter commorantes intra, vel extra ciuitates: imo omnes, qui in hac sancta, et Catholica vnione sunt, vel erunt, considerari, et tractari debent cum Christiana æqualitate, sub pena maioris supplicij dandi authoribus discordiarum.*

100 Ex quibus patet nullum manere fundamentum suspicandi posse aliquid nocumenti vel damni pro-

prouenire Catholicis Anglis, et multo minus orthodoxis, nouisque Hibernis ex nostra doctrina in hac disputatione. Imo est maximum fundamentum sperandæ magnæ vtilitatis, si omnes intelligant iustitiam belli nostri, et se illi accomodent, et accedant ad leges Catholicas Regni Hiberniæ, et recedant ab iniusto bello hæreticorum, et omnino deserant leges schismaticas, et hæreticas Angliæ, vt pote contrarias legi Christi Domini, cui laus, et honor sit in sæcula sæculorum. Amen.

Finis disputationis.

EXHORTATIO

AD CATHOLICOS

Hybernos Authore C. M.

HIBERNO.

IN Apologia supra demonstraui ius, totaleque dominium Regni Hiberniæ esse penes Catholicos, Hibernos, et nullum omnino apud hæreticos Anglos. In sequenti exhortatione opto persuadere Hibernis, vt hæreticorum iugum semel excussum nunquam iterum admittant, nec permittant, sed potius eligant sibi Regem Catholicum, et vernaculum seu naturalem Hibernum, qui eos Catholicos gubernare possit.

1 Præuidens olim Deus quòd populus suus Israeliticus à potestate Ægyptiorum ereptus (non sine miraculis, et prodigijs) fore vt aliquando desideraret, ac postularet sibi Regem, hanc ei posuit legem, et præceptum, in Deutoronomio capite 17. vbi sic habet sacer textus. *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possideris eam, habitarisque in illa, et dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Huc vsque verba Dei. Hæc conditio, vt Rex sit frater, hoc est, eiusdem nationis, et non alienigena, præcipuè à Deo posita, est ob periculum Idolalatriæ, peruersionis, falsæqne de Deo doctrinæ et cultus, vt interpretes hic notant.

 2 Postularunt

2 Postularunt Hebræi Regem sub Samuele Iudice dicentes. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut et vniuersæ habent nationes.* (1. Reg. 8, et 11.) arrepta occasione, quod Samuel senuisset, filij vero ipsius Ioel, et Abia, quos posuerat Iudices Israel, non ambu larent in vijs eius, sed declinarent post auaritiam acciperentque munera, et peruerterent iudicium: et quia Naas Rex filiorum Ammon venisset contra illos: simul etiam vt in hoc imitarentur vniuersas aliàs nationes, quæ suos habebant Reges.

3 Nunc audite me, Hiberni mei. Ingressi estis, terram verè vestram, et quam Dominus Deus vester dedit vobis possidendam, expellendo iniustos, et hæreticos possessores: possidetis eam, habitatis in illa, eodem fere modo, quo accidit Hebræis, cum venirent ex Ægypto in Palestinam, occidendo, et excludendo Gentiles, et Paganos, qui eam iniustè possidebant. Multi Reges Angliæ, qui vos iudicarunt, senuerunt, et mortui sunt, siue bonè, sine malé: filij, et successores eorum non ambulauerunt in vijs, saltem Catholicis, eorum, sed facti sunt peiores prioribus: declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera: peruerterunt humana, et diuina iudicia, facti sunt schismatici, et hæretici fidem diuinam et humanam sæpe deserentes: hæreses, et errores intollerabiles recipientes, cogentesque subditos, et vassallos ad similia peccata patranda. Iustissimam ergo habetis causam postulandi, et accipiendi Regem aliquem Catholicum, ex fratribus vestris Hibernis, sicut Hebræi fecerunt, et Deus præcepit Samueli, vt audiret eos, daretq; eis Regem sicut fecit.

4 Naas Rex filiorum Ammon (quem Hebræi magnopere timebant, ideoque proprium, ac vernaculum,

lum, seu naturalem Regem ad sui defensionem postularunt) venit, obsedit, impugnare cæpit, et expugnare optauit Iabes, quæ est ciutas primaria in dimidia tribu Manasse, vltra Iordanem pertinens ad Regionem Galaad. Quod cum aduerterent viri Iabes timore correpti dixerunt, per internuncios ad Regem Naas, *Habeto nos fæderatos, et seruiemus tibi*, (1 Reg. 11.) quæ sane pacis conditio satis humilis, et dura ipsis erat, cum se omnes in seruos, et seruitutem traderent, ne vitas perderent: et ipsi Regi, et suis Ammonitis affatim honorifica, et speciosa, cuius magna laus esse deberet, *Parcere subiectis, et debellare superbos.* Quam etiam laudem de suo Pompeio prædicauit Marcus Tullius in oratione pro lege Manilia. *Humanitate*, inquit *tanta est, vt difficile dictu sit, vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.* At quid putamus respondisse superbum, ac tyrannum Regem humili petitioni, ac pacis conditioni Iabitarum? *In hoc*, inquit, *feriam vobiscum, fædus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Proh Deus immortalis, quam dura, et acerba pacis conditio! voluit iste crudelis Rex omnium oculos dextros eruere: sed merito quæris, quare?

5 Triplex sane ratio literalis; et multiplex mystica, seu spiritualis reddi potest, et solet Prima literalis est, vt milites Hebræos, seu Israelitas ad bellum redderet ineptos, qui cum sinistrum oculum clypeo tegerent, ne vulneribus locus patèret, si dextro priuarentur, cæci prorsus quasi manerent ad ictus hostiles declinandos, et ad proprios dirigendos, ac proinde inutiles ad bellum. Secunda, vt Iabitæ tam viri, quam fæminæ vno oculo priuati magnum opprobrium,

ac sem-

ac sempiternum dedecus subirent, et in vniuerso Israeli contemptui haberentur. Tertia, voluerunt Naas, et sui Ammonitæ ex plaga Iabitis illata sui terrorem in alios Israelitas transfundere, vt cæteri Hebræi videntes quam duriter cum Iabitis actum esset, formidarent, et ab omni in posterum in Ammonitas rebellione abstinerent. Hæ suppetunt rationes literales, quas iam applico. Reges Angliæ, præsertim heretici, et illorum hæretici ministri sæpe conati sunt multos vestros Duces, et milites Catholicos ineptos ad bellum reddere, priuando illos oculis, et vita ipsa: nec viuis permittendo armorum vsum, aut militiæ officium, vt vere docet illustrissimus Dominus Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, totiusque Hiberniæ Primas in commentario eiusdem Regni cap. 18. *Cum enim Hiberni ad militiam sint aptissimi, et addictissimi, per Anglos tamen data est semper opera ne disciplinam militarem addiscerent aut aliquem armorum vsum haberent. Quod si, aliqui ex illis alicubi eiusmodi vsum, ac disciplinam assequuti essent, ne ad officia belli, præcipua saltem admitterentur, etsi honestissimo loco essent nati, et insigniter in scientia militari versati.* Hæc ille. Vestros nobiles viros, et fæminas in sempiternum opprobrium, ac dedecus voluerunt adducere, cum veræ, Catholicæque religionis desertores reddere vellent. At bonitas diuina non permisit. Stragem edere, et plagas insanibiles vestris Catholicis inferre sæpe desiderarunt, et aliquando intulerunt, vt terrorem suum in alios transfunderent, et vt in posterum ad arma in sui defensionem conuolare formidarent.

6 Vt aliquas mysticas, seu spirituales rationés reddere valeamus, supponimus cum interpretibus quod Naas serpens interpretatur, et diabolum significat.

Quo

Quo supposito, multiplex ratio mystica desumi potest ex multiplici significatione dextri oculi, quem diabolus vult hominibus eruere.

7 Primo ergo loco, dexter oculus significat virginalem Ecclesiæ statum, sinister coniugalem, interprete Sancto Hieronymo libro 1. contra Iouinianum. Vnde quamuis laudabilis in Ecclesia sit coniugalis status, laudabilior tamen est virginalis; cum hic dextro, ille sinistro oculo comparetur. Hinc prima ratio mystica colligitur, quia huic dextro oculo diabolus præsertim insidiatur, innumeraque hæreticorum agmina contra virginalem statum armauit: qui omnes, vt pote diaboli membra virginalem statum aut impossibilem, aut contemptibilem, aut humano generi damnabilem prædicabant, vt eum penjtus de terra tollerent, nec in Sacerdotibus, nec in Religiosis viris, et sæminis castitatem esse vellent, sed omnes aut coniugatos, aut concubinarios desiderarent ad imitationem flagitiosi Apostatæ, et hæsiarchæ Martini Lutheri, qui voti fragus monachus monacham Catherinam Boriam vel Borram constuprauit, retinuitque concubinam quamdiu vitam: et Ioannis Caluini, qui etsi Sacerdos, et satis nobili loco natus, extitit etiam hærisiarcha, et infamis exfornicator, cuius effigiem centum flagitiorum coloribus expressam videre poterit lector apud Nicolaum Romæum in libro, qui inscribitur, *Effigies Caluini, &c.* Hæretici Angli (de his enim semper loquimur, non de Catholicis, quos amore, et honore prosequimur) tamquam diaboli membra nostrorum hominum, præsertim Ecclesiasticorum virginitatem, et castitatem, verbo, exemplo, opere, minis, et premijs labefactare multoties conati sunt. Monasteria Religiosorum, et

Re-

Religiosarum sustulerunt. Vnde non nulli pauci Ecclesiastici Hiberni, qui mundi cupiditatibus, diaboli tentationibus, carnis illecebris, timore pænæ, vel amore premij etiam temporalis commoti, a fide Catholicorum ad perfidiam hæreticorum transierunt, statim vxores, vel potius concubinas duxerunt, ad sacrilegas nuptias conuolarunt, filios, et filias generarunt, non timuerunt pænas æternas, quibus se miseri exponebant, nec dilexerunt premia æterna, quibus se priuabant: continentiam, et castitatem vouerunt, sed incontinentiam, et luxuriam exercuerunt. Tanta est hæresis cæcitas, vt mala fugienda, et bona amplectenda non videat.

8 Secundo, dexter oculus significat prudentiam spiritualem: sinister prudentiam carnalem. Ita Sancto Thomas in Apocalypsim cap. 9. num. 2. vbi solis nomine intellectum humanum interpretatur, quem aduertit à diobolo aliqua ex parte obscurari, non tamen penitus obtenebrari, quia spirituali quidem prudentia, qui est dexter oculus, non tamen carnali, qui est sinister, spoliatur. Et rem confirmat Angelicus Doctor exemplo Regis Naas, qui dextrum præsertim oculum, non sinistrum eripere tentabat. Ex quo elicitur secunda ratio, quia diabolus non curat carnalem prudentiam in hominibus extinguere, sed spiritualem. *Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita, et pax:* teste Apostolo ad Romanos 8. num. 6. vult ergo diabolus hoc suo stratagemate homines carnaliter oculatos, spiritualiter obcæcatos, vt videant non videnda, et ne videant videnda, et amplectenda. Hæretici Angli prudentiam spiritualem vestram extinguere, et carnalem relinquere sæpe desiderarunt. Non ne ideo literarum studia

extin-

extinxerunt, erigereque nunquam voluerunt: Catholicos magistros partim occiderunt, partim in carcerem, et exilium miserunt; sic Armachanus supra citatus. *Cum*, inquit, *Hiberni bene sint affecti, et maxime idonei ad studia literarum, et liberalium Artium, quippe qui ácutis, ac bonis ingenijs passim sint præditi; non potuerunt hactenus ab Anglis præfectis obtinere, vt in Hibernia vniuersitas aliqua studiorum erigeretur*, cum antea optimis abundaret Academijs, vt fuerunt Armachana, Casselensis, Dublinensis, Lismorensis, Rofensis, &c. de quibus Sulleuanus lib. 10. vitæ S. Patricij cap. 2. fol. 137. et Relatio Hiberniæ pag. 4. num. 8 citans alios.

9 Tertio, dexter oculus significat rerum cælestium contemplationem, sinister sublunarium actionem. Vnde tertia ratio eruitur. Nam diabolus non tam hanc, quam illam conatur impedire. Sic venerabilis Beda lib. 2. in Samuelem cap. 4. S. Petrus Damianus, S. Nilus, et alij. Nam actio sine contemplatione, idest sine gratia, nec bona, nec meritoria est. Quod si dubités, quare diabolus non postulat vtrumque oculum eruere, dextrum contemplationis, et sinistrum actionis? Sane, vt minori parte virtutis relicta, vanam suæ salutis spem, et confidentiam peccatoribus iniiciat. Rem exemplis declaro. Diabolus patitur, vt qui latrocinia exercet, aliquas preces fundat: qui superbia tumet, abstinentiam colat: qui incontinenter viuit, eleemosynas donet, et sic de cæteris: vt dum bonis operibus, quæ quis agit, nimium confidit: de malis vero, quæ operatur, emendandis nihil curet. Hæretici Angli rerum cælestium contemplationem vobis aufferre, et vos ad prauas actiones deferre magnopere optarunt, idcirco Templa, orato-

oratoria, cruces, imagines, rosaria, et libros pios, quæ motiua contemplationis esse poterant, sustulerunt, et hæretica dogmata, sacrilegas ceremonias introduxerunt.

10 Quarto, dexter oculus bona spiritualia, et sinister corporalia significat. Vnde habemus quartam rationem; quia cum vtriusque diabolus in hominibus aduersetur, magis tamen spiritualibus. Ita S. Bernardus Serm. 7. in cantica loquens de parte dextra, et sinistra humani corporis, et explicans illa verba psalmi 90. *Cadent á latere tuo mille, et decem millia á dextris tuis.* Et quærit, cur plures Dæmones à dextro, quam à sinistro latere insidientur, cum plures à dextris, quam á sinistris dicantur cecidisse? Resoluitque: vt significetur magis à diabolo impugnari spiritualis, quam temporalis felicitas. *Longe*, inquit, *ampliori sollicitudine, et calliditate pars aduersa vulnerare in nobis dextram satagit, quam sinistram; nec tam corporis profecto, quam cordis laborat auferre substantiam; vtráque felicitate priuare contendunt, et cælesti videlicet, et terrena: sed longe amplius rore cæli, quam pinguedine terræ.* Hæc mellifluus Clarauasensis Abbas sanctissimus. Vbi considerandum nobis est, ad sinistrum oculum terrenæ felicitatis eruendum mille demones armari: ad eruendum vero dextrum oculum supernæ felicitatis armari decem millia, quasi multó magis huic, quam illi felicitati aduersentur. Verum sicut diabolus dextram partem, idest bona spiritualia acrior inuadit: ita Deus eandem partem studiosior defendit, vt in se ipso Dauid experiebatur (ps. 15. num. 8. *Dominus á dextris est mihi, ne commouear.* Quapropter quemadmodum diabolus magis inhiat bonis spiritualibus deuorandis, quam corporalibus,

iuxta

iuxta illud Regis Sodomorum ad Abraham, id est diaboli ad Christum (Genesis 14. num. 21.) *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Ita Deus multo magis bonis spiritualibus defendendis quam corporalibus incumbit iuxta illud Dei ad Satan, de Sancto Iob (cap. 2. num. 6.) *Ecce in manu tua est; verum tamen animam illius serua.* Vnde Bernardus citatus præcatur Deum, vt potius eius animam, quam corpus tueatur. *Vtinam mihi semper á dextris sis, IESV bone; vtinam semper teneas dexteram meam: scio enim, et certus sum, quoniam nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Tundetur sinistrum latus, pulsetur injuriis, vellicetur opprobrijs; libens illud expono, dum á tè custodiar; dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam.* Hæc Bernardus ibi, et statim minatur ei, quisinistro potius, quam dextro lateri, id est, corporalibus potius bonis, quam spiritualibus protegendo magis incumbit. *Iam nunc tibi prouide quisquis es dextri negligens, sinistri lateris cultor, ne cum hœdis locum accipias in sinistra, quam elegisti. Expauistis? At cauère non minus opus est, quam expauêre.* Hæretici Angli bona spiritualia vestra, Sacramenta scilicet, Sacerdotes, Religiosos, et Monasteria omnino tollere voluerunt, et bona temporalia vestra rapere non dubitarunt: licet magis illa, quam ista, vt maiorem vobis iniuriam irrogarent, maiusque malum facerent.

11 Quinto, dexter oculus viros perfectos significat, imperfectos vero sinister. Nam duo Ecclesiæ latera dextrum et sinistrum, viros spirituales, et carnales interpretatur S. Bernardus nuper citatus. Nam qui perfectissimi sunt, ambi dextri dicuntur in sacra pagina. Exemplum sit Aod, quem Deus ad saluandum Israelem suscitauit, et qui vtràque manu pro

P dexte-

dextera vtebatur, vt dicitur in libro Iudicum cap. 3. num 15. in quem locum Origines homilia 3. sic habet *Ecce qualis est iste, qui suscitatur ad saluandum Israel; nihil habet in se sinistrum; sed vtramque manum dextram habet dignus quidem est populi princeps, et Ecclesiæ Iudex qui nihil agit sinistrum; sed vtràque parte dexter est in fide dexter est, in actibus dexter est; nihil habet de illis qui collocantur á sinistris.* Et infra eádem homilia. *Puto quod secundum spiritualem intelligentiam sancti omnes ambi dextri dicantur; è contrario diabolus, et Principes eius ambi sinistri dicuntur; totum enim quod agunt, sinistrum est, totum peruersum, totum igni æterno cum ijs, qui á sinistris sunt deputatum.* Hæc ille. Vnde quinta ratio sumitur, quia sanctiores viros àcriori pugna diabolus prosequitur, leuiori, vel nulla imperfectos, vt aperte docent multi sancti, quorum testimonia iam cito. Regius Vates psalmo 36. nomine peccatoris diabolum intelligit dicens. *Considerat peccator iustum, et quærit mortificare eum.* Vbi Sanctus Ambrosius. *Quò magis iustus est quisquam, eo magis illi insidiatur inimicus.* Quod etiam S. Gregorius Nazianzenus oratione 18 multis declarat exemplis. *Diabolus in Paradisum aduersus eum, qui primus effictus est, ab initio irrepsit, et medius inter Angelos stat, Iobum ad cruciatum deposcens; ac postremo Dominum ipsum adoriri non dubitat, eique, qui nulli tentationi obnoxius est, tentationem admouet, quasi ipsum quoque superaturus.* Quibus plane verbis satis exprimit magnus iste Theologus acerrimum diaboli conatum ad optimos quosque superandos et perdendos. Vnde Sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. *Non quærit diabolus homines infideles, non eos, qui foris sunt, de Ecclesia Christi rapere festinat. Iob subuertere cupit;*

pit; *et deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Nam sicut cribo triticum à paleis secernitur, illud que seruatur; hæ autem contemnuntur: ita Dæmon malos separans a bonis, hos inuadit, illos omittit et contemnit. Hinc Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus totiusque Africæ Primas, et Martyr gloriosissimus libro 3. epistolarum, epistola 1. ad Lucium. *Nec persequitur, et impugnat Christi aduersarius, nisi castra et milites Christi*; *hæreticos prostratos semel, et factos suos contemnit, et præterit; eos quærit deiicere, quos videt stare.* Et idem Præsul, seu vt alij volunt Origines, in libro de singularitate clericorum. *Artificialia sunt semper diaboli veneficia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens, sanctimoniæ deditos dolosis commoditatibus iuuat, vt perdat.* Quasi clare diceret viros iustos, quos Dæmon minis, et viribus subuertere desperat; dolis, et fraudibus aggreditur. Claudat hoc sanctorum agmen Sanctus Petrus Chrisologus Rauenatis Archiepiscopus doctissimus, et eloquentissimus Sermone 96. *Hostis plus Ducem, quam militem quærit*: *non obsidet mortuos; sed impugnat viuos. Sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet, sed vt iustos capiat, sic laborat.* Quam ob rem illi, qui perfectiores sunt, maioribus præsidijs diuinis indigent, ne diabolicis tentationibus succumbant. Quod recte intelligens Rex Dauid psal. 85. sic Deum deprecabat ut, *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.*

Hæretici Angli multos viros perfectos, et spirituales vestros Ecclesiasticos, et seculares occiderunt, et alios in exilium miserunt; et imperfectos relinquerunt nefariè molientes ambidextros tollere et sinistros relinquere. Nam postquam Angli fidem Catholicam, orthodoxamque religionem deseruerunt, hæresim,

resim, et impietatem amplexi sunt, vix credi potest quanta mala passi sunt nostri Catholici Hiberni, ex quibus multi Episcopi ab hæreticis Anglis interfecti sunt, et cæteri ad necem sæpe quæsiti; sacerdotes seculares, et regulares plurimi nobiles, et plebei viri, ac mulieres absque numero, vt omittamus confiscationem bonorum, exilia, carceres et alia eiusmodi mala, quæ Deus optime scit, nec nos latent, qui partim vidimus, partim à fidedignis audiuimus, et partim in libris legimus.

Cæterum, vt de Præsulibus Hibernis, qui ob defensionem, vel in odium fidei Catholicæ occisi sunt ab hæreticis Anglis vel in exilio mortui sunt, aliqua demus exempla, accipiant Catholici Lectores nomina aliquorum. Richardus Creachus Archiepiscopus Armachanus, et Primas Regni Hiberniæ, Londini in Anglia, in carcere pro fidei confessione sub Elisabeta Regina hæretica mortuus est. Eius vitam breuiter scripsit Philippus Sulleuanus in Compendio Historiæ Catholicæ Hiberniæ tomo 2. lib. 4. cap. 10. Edmundus Macgauranus Archiepiscopus etiam Armachanus et Primas iter agens per Hiberniam equo vectus, et duobus tantum equitibus comitatus incidit in turmam equitum Anglorum hæreticorum, à quibus cognitus occisus est cum socijs. Sulleuanus supra tom. 3. lib. 2. cap. 6. Dermicius Hurlæus Archiepiscopus Casilensis inuictissimus Martyr, post multa tormentorum genera, occubuit suspensus in patibulo Dublinæ die 7. Ianuarij anno Domini 1584. de illo scripsit, inter alios, Sulleuanus tom. 2. lib. 4. cap. 19. Patricius Helius Episcopus Moyo manibus, et cruribus maleo fractis, tandemque suspensus migrauit in cælum Killmuchallogæ in Hibernia

bernia sub Gulielmo Drurio Anglo hæretico et pro-Rege in Hibernia, cum socio sacerdote Conatio Ruarco. Illud memoria dignum est, quod cum Præsul iste in vltima vitæ hora iam suspendendus concionaretur ad populum pro-Regem hæreticum prouocauit ad tribunal diuinum, et sistere iussit rationem redditurum intra quindecim dies proximos sequentes iniustæ sententiæ contra se Episcopum, et Socium sacerdotem pronunciatæ: quod et fecit Drurius moriens miserabiliter die 14. ab illo die, in quo duo illi clarissimi viri in cælum conuolarunt. Sulleuanus tom. 2. lib. 4. cap. 11. pag. 90. referens alia miracula. Thomas Hierlanus Episcopus Rossæ Londini diu in carcere detentus, et maceratus, tandem diuino beneficio hæreticorum manus euasit, et in patria, dominoqueobdormiuit. Sulleuanus tom. 2. lib. 4. c. 13. Cornelius Duuana Episcopus Dunensis, et Conerensis suspensus, et sectus est ab hæreticis Anglis cum Socio sacerdote Patricio Luorano, Dublinæ, 1. Februarij 1611. Regnante Iacobo, sub impijssimo Iudice Dominico Sarfeeldo. Eius vitam miraculis, et pietate plenam diligenter scripsit Sulleuanus tom. 4. lib. 1. cap. 18. Cornelius Mulrianus Killaloanensis Episcopus exul obijt Vlyssipone in Lusitania anno Christi 1617. Sulleuanus tom. 2. lib. 4. cap. 16. Dauid Kearnæus Archiepiscopus Casilensis exul diem clausit extremum Burdigalæ anno 1622. cum antea eius caput quærerent hæretici Angli pretio 500. librarum argenti. Quod etiam pretium pro capite Eugenij Mahuni Archiepiscopi Dublinensis promiserunt, sed non obtinuerunt. Raymundus Gallachur Episcopus Dirij bipennibus confossus et capite truncatus est octogenarius ab hæreticis Anglis. Sulleuanus tom. 2.

lib.

lib. 2. cap. 4. Petrus Lombardus Archiepiscopus, et Primas Armachanus vir nobilis, et pius, et sapientissimus Theologus obijt exul Romæ anno 1624. Hugo Cauellus Archiepiscopus, et Primas etiam Armacanus successorque immediatus Lombardi sapientissimus Theologus Scotista, qui doctissimas in Scotum edidit lucubrationes, obijt etiam exul extra patriam anno 1626. Florentius Conrrius Archiepiscopus Tuamensis vir plane doctus et pius, quem olim in Hispania amicabiliter tractaui, exul obijt in Flandria anno 1627. Malachias Chelanus Archiepiscopus Tuamensis hoc ipso anno 1645. occisus est in Hibernia ab hæreticis Anglis Parlamentarijs cum duobus Sacerdotibus, quorum vnus erat Religiosus Ordinis Sancti Francisci. Hæc de præsulibus nostris exempla sufficiant; sunt enim octo Archiepiscopi, et quinque Episcopi.

12 Sexto tandem, vt ultimo, dexter oculus significat Fidem de Christi diuinitate. Et sit etiam sexta et vltima nostra mystica, et spiritualis ratio. Sic Seraphicus Doctor S. Bonauentura tom. 3. in Dominica quinquagesima. *Oculum dextrum*, inquit, *libentissime excæcat diabolus, id est fidem diuinitatis Christi, &c.* Et adducit in exemplum Naas, qui oculos dextros illorum hominum eruere conabatur. Sic diabolus per ministros suos hæreticos, ad fidem Christi extinguendam, maiora adhibet machinamenta, non ignorans, hac vna sublata, facili negotio cætera Catholicæ Religionis mysteria tolli posse. Tandem hæretici Angli vestram, et Christi orthodoxam fidem (quæ totius spiritualis ædificij fundamentum est) conuellere semper conati sunt, vt hoc fundamento sublato totum ædificium corrueret, et sic vos opprimerent et reprimerent.

Quid

Quid ergo nunc agere debetis? Idem sane quod viri Iabes, qui mittentes nuncios in vniuersos terminos Israel, fortissimum construxerunt exercitum, et Regem vernaculum eligentes animose inuaserunt hostes suos, fugarunt, fuderunt, et magna ex parte occiderunt (1. Reg. 11.) sic sane in-cæpistis facere anno 1641. pergite, et perficite, nam *Dimidium facti qui bene cæpit, habet.* Misistis nuncios non solum in vniuersos terminos Hiberniæ vestræ, sed etiam in alias Regiones, ex quibus auxiliares aliqui, et arma multa venerunt. Fugastis, fudistis, et occidistis multos hæreticos aduersarios vestros in bello iustissimo pro fide Catholica, pro patria dilecta, pro vitis, et fortunis vestris. Eligite igitur Regem vernaculum *fratrem vestrum* Catholicum aliquem Hibernum. Nec in mentem vobis veniat aliquis hæreticus, quem nullo modo debetis admittere, imo debetis non permittere tale monstrum: et sic imitari debetis cæteras nationes, quæ suos Reges, eiusdem nationis habent. Anglia vicina vestra a primo Rege suo Egberto, vsq; ad Carolum nunc regnantem habuit 45. Reges proprios. Vide Georgium Lilium, in Epitome Regum Angliæ. Scotia adhuc vicinior habuit etiam à primo Rege suo Fergusio vsque ad Iacobum 6. qui etiam Angliam occupauit, 108 Reges, teste Georgio Bucano in Catalogo Regum Scotiæ. Quare igitur Hibernia (quæ ante Anglorum aduentum habuit 190 Reges, et quæ longe præstantius Regnum est, et minime comparanda cum Anglia, et Scotia in cæli temperie, soli fertilitate, fæcunditate, et abundantia) proprio carebit Rege? Maxime, quia inueniuntur in Hibernia nostra multi viri Principes Catholici, et optimates

optimates ex multis illustrissimis Regijsque familijs, ex quibus facilè valebitis aliquem Regem constituere. Et profecto etiam si nulla ex his familijs extarèt: ex ipsa potius plebe hominem aliquem Catholicum in Regem eligere, quam alienigenam hæreticum admittere deberetis; sæpe enim in orbe accidit viros inferioris ordinis, et conditionis ad purpuras, coronas, sceptra, mytras, tyaras aliasque dignitates ascendisse.

18 Inter multa alia Iudæorum peccata, duo præsertim à Doctoribus notantur, et merito damnatur. Primum fuit, quód nocentissimum latronem Barabam ad vitam exposcerent: innocentissimum vero saluatorem ac Regem suum Christum Dominum ad mortem peterent. *Tolle hunc*, inquiunt, *et dimitte nobis Barabam.* (Lucæ 23. num 16.) mites se ostendentes in mortis reum, crudelissimos in vitæ Deum. Secundum quòd Christum naturalem, seu vernaculum Regem contemnerent, et Cæsarem externum et Gentilem postularent. *Non habemus*, inquiunt, *Regem nisi Cæsarem*, (Ioannis 19. num. 15.) In vtroque peccato legem naturalem et positiuam violarunt Iudæi, quorum quanta fuerit iniquitas et peruersitas, satispatet. Legem, inquam, naturalem violarunt, dum ius suum Christo Domino abstulerunt, et Cæsari indèbitum contulerunt. Fregerunt etiam legem positiuam, quæ præcipiebat, ne alienigena in Regem admitteretur. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* (Deuteronomij cap. 17. num. 15.) Ipsi vero, qui huius legis se obseruantissimos cultores profitebantur, alienigenam sibi Regem coaptare volebant. Quid inde factum putamus? Certè vbi culpam contraxerunt, ibi pænam inuenerunt.

Pecca-

Peccarunt postulando Regem externum, et reiiciendo proprium: idcirco vapularunt, dum traderentur in externorum Regum tyrannidem, Græcorum, Romanorum, &c. Sub quorum misera seruitute vapulant, cruciantur, torquentur; imo nec legem, nec Regem nunc habent.

14 Hinc suboritur quæstio, quare Principes Iudæorum, penes quos erat etiam ius gladij in ciues suos, maluerint IESV Christi causam à se ablegare, illamque iudici extraneo Pilato Gentili tradere, quam sibi reseruare? Resolutio multorum interpretum est quòd isti crudelissimi homines metuebant in se ipsis naturæ vim, ne in ciuem, ac fratrem suum cogerentur esse leniores: et ideo illum iudici Gentili, et extraneo tradiderunt: extranei enim iudices solent esse crudeliores in sibi subditos. Audiamus, et veneremur Sancti Leonis Papæ verba sermone 3. de passione. *Tamquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouinciæ vestræ præsidebat, vteremini, vinctum IESVM ad Pilati iudicium deduxistis, vt clamoribus improbis, trepido cognitore superato, interfectorem hominem eligeretis, et saluatorem mundi peteretis ad pœnam.* Supponit Sanctus Pontifex Leo Iudæos habuisse de gente sua iudices, qui causis mortis præsidebant, vt habebant sub Babilonio Danielis 13. verum in causa Christi noluerunt expectare proprij iudicis sententiam, sed ad extraneum confugiunt iudicem, existimantes quód etiam in rabidissimis Iudæorum cordibus posset natura lenitatem, et clementiam aliquam inspirare erga conciuem suum. Timuerunt ergo ab eiusdem gentis iudice posse frangi, extenuarique conceptum furorem, et ideo, naturali, et proprio relicto iudice, ad extraneum pergunt,

 à quo

à quo non nisi feritatem, et crudelitatem in subditum possent sperare.

Ah, Hiberni mei, quantas feritates, et crudelitates à iudicibus extraneis Anglis hæreticis experti estis? Quanta extrema excidia, et mala passum est vestrum Catholicum Regnum sub alienigenis, et hæreticis Regibus, alioqui non passurum, si Reges, et iudices essent vernaculi, et Catholici, vt par erat. Nolite, carissimi Iudæos imitari petendo Regem hæreticum et alienigenam, sed potius eligite vernaculum, et Catholicum, qui naturali clementia causas vestras recte iudicabit.

15 Sanctus Ioannes Chrysostomus Serm. 86. ponderans illa verba (Lucæ 2.) *Fuit in diebus Herodis Regis Iuda Sacerdos, &c.* Sic vlterius pergit. *Vsque ad Herodem Iudaicæ gentis sacerdotalis sanctitas, senium grauitas præsidebat; ius erat lex diuina. Sed Herodes veniens ex gente aliena inuasit Regnum, violauit sacerdotium, confudit ordinem, mutauit mores, tribus miscuit, deleuit stemata, corrupit genus, tulit quidquid erat diuinæ, et humanæ disciplinæ.* Hæc ille. Similia solent facere alienigenæ, extraneique iudices, et Reges, quando clauum tenent Reipublicæ. Nullus Hibernorum est dummodo hæc legat, et intelligat, qui clarè non videat verba relata Chrysostomi aptissimè posse accomodari nostro Hiberniæ Regno, Reipublicæ, et hominibus sub Anglicano, alienoque imperio existentibus, vel ipsa experientia mortalium magistra teste.

16 Rem, quam prosequimur, apto exemplo declarauit Sanctus Synesius in libro de Regno admonens Principem suum. *Neque inter canes* (qui gregem seruant) *lupi collocandi sunt, vbi enim in canibus aliquam imbecillitatem, aut ignauiam esse senserint, statim in illos,*

et gre-

et gregem, et pastorem desæuient. Neque á Legislatore danda sunt arma his, qui in ipsius legibus nati, aut instituti non fuerint, non enim ab his hominibus vllum habent beneuolentiæ pignus. Hæc Sanctus, et doctissimus ille Episcopus. Angli hæretici instar Luporum sæpe inuaserunt, et passim inuadunt greges, et pastores nostros Catholicos Sacerdotes, et Episcopos, quorum multos occiderunt, vt supra aliquibus exemplis demonstraui, et latius docet Sulleuanus in sua Catholica historia. Non sunt nati, nec instituti in legibus Catholicis nostris, sed in hæreticis suis. Non demus eis arma, imo aufferamus ab illis quæcumque habent: nullum enim ab eis beneuolentiæ, clementiæ, aut fidelitatis pignus sperare debemus. Qui enim vobis, et Christo IESV toties fidem fregerunt: numquid inposterum seruabunt, quamuis promittant? Haudquaquam. Nam si *semel malus, semper præsumitur*, saltem in eodem genere delicti. (*L. filius* §. 1. *et cap. semel malus de Regulis iuris in* 6. vbi doctores passim) quomodo non debetis Anglos hæreticos præsumere malos quos non semel, sed multoties perfidos, et fideifragos experti estis? Adhuc præteritorum malorum memoriam retinetis, nisi insipientes facti estis. Quoties putatis Britaniam, seu Angliam, et eius incolas magna ex parte à Fide Christi defecisse ab initio susceptionis ipsius vsque ad præsens tempus, in quo hæc scribo? Legite quæso venerabilem Bedam Presbyterum, et Monachum, Anglum sane Catholicum, antiquitate venerandum, religione reuerendum, sapientia clarum, testemque omni exceptione maiorem, (locis infra citandis) qui nec suos Anglos mentiendo infamare, nec posteritati falsam narrationem relinquere voluit. Legite etiam vestrum Philippum

Sulleuanum

Sulleuanum in compendio historiæ Catholicæ to. 2. lib. 2. cap. 1. et lib. 10. de vita S. Patricij cap. 5. et alios, et inuenietis occies, vel nouies Anglos plerosque, vel magna ex parte Catholicæ Fidei fuisse desertores, cum eam primo susceperint à Iosepho ab Arimathia anno post Christum natum quinquagesimo, vt ex Gilda antiquissimo scriptore Britanno Polydorus, Sanderus, et alij referunt. Circa septem primas uices videri potest Beda tomo 3. suorum operum lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 4. 6. 8. 10. 17. 21. et 22. et lib. 2. cap. 5. et lib. 3. cap. 1. 3. et 19 cui historiæ vltimam ipse posuit manum anno Domni 731. vt ipse testatur libro 5. cap. 24. circa alias duas defectiones, vel rebelliones Anglorum contra Fidem Catholicam, videri possunt Sulleuanus, Sanderus, et alij Catholici scriptores. Ego non nego, imo constanter affirmo in omnibus præteritis sæculis extitisse Anglos multos, insignes martyres, sanctos confessores, sapientia, et prudentia claros, qui fidem, et Religionem Catholicam vsque ad mortem defenderunt. Cum hæreticis solum modo ago.

17 Speratis ne Hiberni mei, nunc, aut in posterum, vt fidem vobis humanam, aut diuinam seruet gens ista tam leuis, tam variabilis, et inconstans, tamque barbara, bestialis, ex lex, et obcæcata, quæ nefandas sectas, Lutheri, Caluini, et aliorum hæreticorum anteponit Catholicæ fidei, et Religioni Christi, Apostolorum, et totius Ecclesiæ Catholicæ, sibique persuadet, et alijs persuadere conatur hæreticos, et laicos pueros, et sæminas fuisse, et posse esse Pontifices supremos Ecclesiarum Dei in temporalibus, et spiritualibus, et defensores fidei Catholicæ, cum vere fuerint offensores, et impugnatores eiusdem fidei: et propagatores,

propagatores, et ampliatores hæresum, et errorum absurdissimorum, sectarumque nefandarum. Loquor de illis, qui per summum scelus, et adulationem tribuunt Regibus hæreticis titulos capitis Ecclesiæ, et defensores fidei.

18 Sanctus Bernardus immortales gratias immortali Deo refert, eo quod Angelus non acceperit hominum principatum. *Gratias tibi pater orphanorum, et iudex pupillorum, &c.* (multorum enim Patrum sententia fuit hominum principatum ab Angelo fuisse ambitum) sed Deus noluit homines subdere superbissimo huic alienigenæ, qui dicebat (Isayæ 14. num. 13.) *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* O Lucifer superbissime ad infernum detraheris in profundum laci, non dominaberis bonis hominibus, nedum Angelis; Deus enim voluit potius vtpote naturalis Dominus creaturarum suarum Regnum accipere, et Christo filio tradere, quam superbo Angelo. Tunc Bernardus. *Ascendam*, inquit, *super montem excelsum, et sedebo in lateribus Aquilonis: quo Altissimi quandam similitudinem obtineret, et quem admodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam: ita ipse altus sederet, regeretque genus humanum. Absit, quia iniquitatem mediatus est in cubili suo. Mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non agnoscimus iudicem, quam auctorem. Non diabolus, sed dominus iudicabit orbem terræ.* Hæc S. Bernardus Serm. 17. in Cantica. Quasi excluserit inde omnem alienigenam, et extraneum iudicem: tuncque solum cum hominibus bene actum esse putauerit, cum sub naturali seu vernaculo gubernentur iudice.

Applico.

Applico. Nos Hiberni Catholici nolumus, nec vllo tempore velle, aut permittere debemus, vt gubernemur à superbissimo Rege hæretico, qui iactat se esse caput Ecclesiæ in spiritualibus, et temporalibus, et defensorem fidei Catholicæ, cum vere sit offensor, et impugnator eiusdem fidei, et mysteriorum eius. Quid ergo? Habeamus Regem Catholicum fratrem nostrum, et iudices etiam Catholicos, et vernaculos in temporalibus: in spiritualibus autem IESV Christi Vicarium, et successorem Petri Summum Pontificem Romanum, et sub hoc nostros Catholicos Episcopos, et Sacerdotes, anathematizantes ex hoc nunc, et in perpetuum omnes ministros hæreticos cuiuscumque sectæ tamquam diaboli membra.

19 Hiberni mei habetis optimos belli Duces in re militari versatos, et fortissimos milites, qui aduersariorum numerum et fortitudinem longo superant interuallo. Hibernia nostra, vt pote regio fertilissima, et feracissima abundat alimentis pro belli, et pacis temporibus. Ex tributis, quæ hæreticis Anglis soluebatis singulis annis potestis stipendia necessaria, et sufficientia vestris Catholicis Ducibus, et militibus exhibere, maxime accedens subsidium Ecclesiasticum. Habetis multas, et bonas ciuitates validis muris, profundis fossis, et fortissimis turribus circum cinctas, in quibus et vos defendere, et hostes offendere facili negotio potestis. Habetis verbi gratia Vvexfordiam, Vvaterfordiam, Galueam, Lomnacham, et alias maritimas, omissis vrbibus, et oppidis munitissimis, quæ intra regnum à mari per aliquas millias, vel leucas distant. Totum denique Regnum (vt pote insula) vndique mari est circundatum, ita vt nusquam pateat aduersarijs ingressus, nisi per aliquos

quos vestros portus, qui statim à vobis intercludi, ac defendi possunt, construendo Castella, et propugnacula necessaria cum valida militum manu, et commeatu. Quid ergo restat? Vos ipsi ex præiactis præmissis, elicite conclusionem, dum ego interim meum prosequor argumentum. Nec obstat quod quatuor, vel quinque ciuitates, pauloplus, minusue, sint adhuc in potestate hostium, quibus eas aufferre potestis eadem felicitate, et facilitate, qua cæteras eripuistis.

20 Hiberni mei agite, pergite, et perficite incæptum opus defensionis, et libertatis vestræ, et occidite hæreticos aduersarios vestros, et eorum fautores, et adiutores è medio tollite. Iam interfecistis centum quinquaginta millia hostium his quatuor, vel quinque annis, ab anno scilicet 1641. vsque ad hunc annum 1645 in quo hæc scribo, vt ipsi aduersarij in suis scriptis demugientes palam fatentur, et vos non diffitemini, et ego plures hæreticos hostes occissos fuisse credo, et vtinam omnes. Restat vt cæteros hæreticos occidatis, vel ex Hiberniæ finibus expellatis, ne Catholicam patriam nostram amplius suis hæresibus, et erroribus inficiant. Scitote Anglos hæreticos nunquam contra vos victoriam aliquam obtinuisse, nisi adiutos ab aliquibus Hibernis, ita vt veré dici possit, *Non Angli Hibernos, sed Hiberni Hibernos vicerunt.* Atque ita dissentio inter ipsos Hibernos, Hiberniam desolauit iuxta illud Christi Domini infallibile dictum. *Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur*, Lucæ cap. 11. num. 17. Et apud Mathæum c. 12. n. 25. *Omne Regnum diuisum contra se, desolabitur; et omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se, non stabit.*

21 Nolite timere Anglos hæreticos Christi aduersarios,

uersarios, etiam si in aliquo casu eorum milites plures videantur, quam vestri. Considerate iustitiam, et pietatem causæ vestræ, et iniustitiam, et impietatem causæ illorum. Vos enim pro defensione fidei Catholicæ, et patriæ vestræ pugnatis: illi, vt hæreses, et impietates introducant, dimicant. Quare diuersitas causarum diuersos effectus producere solet, Nunquam enim Catholici Principes, et populi ex animo Deo adhæserunt, quin facillime de hostibus triumpharent. Notæ sunt in primis victoriæ in veteri testamento, Abrahæ, Moysis, Iosuæ, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, Machabæorum. In testamento nouo Constantinus magnus, qui primus ex Imperatoribus Ecclesiam Catholicam defendit, eodem fere modo Maxentium tyrannum vicit, quo Moyses Pharaonem. De illo S. Augustinus libro 5. de ciuitate Dei cap. 25. sic scribit. *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum Deum verum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet; vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit, ac defendit; in administrandis, et gerendis bellis victoriosissimus fuit; in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandæuus ægritudine, et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.* De Theodosio Seniore Imperatore idem Augustinus citatus cap. 26. scribit quôd quia Catholicus erat, adèo prospere illi omnia succedebant, vt in prelijs tela hostium in ipsos, Deo agente, retorquerentur; et Theodoretus lib. 5. historiæ cap. 24. addit Sanctos Ioannem, et Philippum Apostolos in equis albis in eodem prælio apparuisse, et pro illo pugnasse. De Honorio etiam Imperatore Catholico scribit Sanctus Augustinus citatus lib. 5. cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, vt in

vno

vno prælio amplius quam centum millia hostium prosternerentur, et Rex ipse hostis cum filijs caperetur, et occideretur, ex Romanis ne vno quidem vulnerato, ne dicam extincto. De Theodosio Iuniore scribit Socrates lib. 5. hist. cap. 18, quod eius exercitu pugnante contra Persas, cum Saraceni venirent in auxilium Persarum, Angeli turbarunt Saracenos, et eorum circiter centum millia in Euphrate submerserunt. Iustinianus insigni felicitatis, et sapientiæ fama Imperatot fuit, imperauitque felicissime quandiu Catholicus extitit. Nam Italiam, Africam, at alias multas regiones Romano Imperio restituit, vt patet ex Euagrio lib. 4. hist. cap. 16. et sequentibus. At quando hæreticus Eutychianus factus est, et edictum proponere voluit de sua hæresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, et Catholicam Ecclesiam magno metu liberauit. Heraclius similiter, dum Catholicus esset, in acie vicit, et occidit Phocas Imperij Romani crudelissimum tyrannum; deinde præclarissimam victoriam de Persis reportauit, et crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ videbantur. At postquam factus est hæreticus Monothelita, omnia infeliciter successerunt, et ipse nouo, atque inaudito morbo extinctus est. Constat etiam Imperatores Orientis, ab eo tempore, quo propter dissidium, seu schisma circa sacras imagines, se ab Ecclesia Romana separauerunt, semper magis, et magis decreuisse, donec tandem Imperium amiserunt. In occidente vero liquet ex historijs semper Imperatores, et Reges magis vel minus floruisse, prout magis, vel minus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se filios, et protectores ostenderunt.

Tandem tempore Innocentij tertij Summi Pontificis in Francia ab octo millibus Catholicorum cæsa sunt vno prælio centum millia partim Albigensium hæreticorum, partim eorum, qui illis fauebant, vt scribit Æmilius lib. 6. historiæ Francorum. Anno 1531. quinque prælia comiserunt Heluetij: et semper Catholici vicerunt, cum tamen essent numero, et armis multo inferiores. Vide Cochlæum in actis Lutheri eo anno. Carolus V. Romanorum Imperator, et Hispaniarum Catholicus Rex, miraculo prope diuino, anno 1547. victoriam reportauit de Lutheranis. Eo namque tempore Germania pæne omnis simul à Cæsere, atque ab orthodoxa religione defècerat. Defectionis Principes erant Philippus Landgrauius, et Fredericus Saxoniæ Dux. Carolus tamen Imperator, etsi viribus impar, consilio superior extitit: Germanorumque feroces impetus cunctando fregit. Inde nec opinantes hostes aggressus pari virtute, ac felicitate deleuit, et vtrumque Principem in vincula coniecit, et postea clementer dimisit, totamque Germaniam pacauit, et in suam obedientiam redegit.

22 In Francia quoque, et Belgio multas victorias Catholici de hæreticis, non sine miraculo, reportarunt. Imo vix vnquam hæretici fuerunt superiores, quando iusto prælio dimicatum est, vt Catholici Authores passim tradunt, præsertim Antotius Posseuinus disputans contra Nicolaum Machiauellum, et alios Politicos, et Atheos. Nostri etiam Catholici tum antiquis illis temporibus, tum etiam his proximis annis, multas victorias ab hæreticis reportarunt, non magis Anglorum clade, quam Hibernorum felicitate nobiles. Quæ cum ita

sint.

sint. Quo vsque abutentur Angli hæretici patientia nostra? Quandiu nos etiam furor ipsorum illudet? Quem ad finem sese illorum effrænata iactabit audacia? Et vsquequo tandem seruiemus Anglis, quorum maiores maioribus nostris vt mancipia seruierunt; plurimi enim Angli, quos maiores nostri in bello capiebant, vel ab alijs capti erant, in Hibernia passim, in catastis tamquam pecudes in nundinis à mangonibus vendebantur, ita vt vix, aut ne vix quidem Hibernus aliquis mediocriter diues esset, qui vnum, vel plures seruos Anglos non haberet, donec Episcoporum, in Concilio Armachano, præcepto, omnes Hiberni manumiserunt seruos suos Anglos: indignum enim iudicarunt illi venerabiles Antistites, vt Christiani Christianos captiuos tenerent. Nec ab illo Christi Domini anno 1169. vsque ad hunc annum 1645. in quo hæc scribo, vidimus, aut legimus extitisse in Hibernia Christianos captiuos, nec speramus deinceps futuros esse. Vide Richardum Stanihurstum lib. 3. de rebus in Hibernia gestis pag. 109. D. Petrum Lombardum in Commentario Hiberniæ cap. 17. pag. 252. Sulleuanum, et alios.

Agite ergo Catholici Hiberni, et felicem finem imponite operi, quod incæpistis, et nolite timere hereticos aduersarios, timete, et amate Deum, eius præcepta seruate, et fidem defendite, et ipse vobis retribuet immarcesibilem gloriæ coronam, quam mihi, et vobis præstare dignetur. Amen.

PER ORATIO.

DIsputaui de iustitia Catholicorum Hibernorum contra iniustitiam hæreticorum Anglorum. Et (nisi mea me fallit opinio) planè, et plenè demonstraui intentum. Deinde Exhortatus sum Catholicos Hibernos, vt Catholicum aliquem Regem (qui eos Catholicè in veritate, et iustitia gubernare possit) sibi eligerent. Quod non eo animo feci, vt in aliquo vellem offendere Serenissimum Magnæ Britaniæ Regem Carolum, cuius personam amore, et honore prosequor: eius tamen hæreticam sectam abominor, et execror. Regiam nihilominus maiestatem ipsius per Deum rogo, et obsecro, vt hæresim abiuret, falsas opiniones deserat, et adulatores, et hæreticos ministros à se proiiciat, qui perniciosas doctrinas, et nefanda dogmata docent, quibus populos decipiunt, et in æternæ perditionis barathrum detrudunt, ac proinde habebit hoc, et alia Regna Catholica, quieta, et pacifica, et postea æternum Regnum gloriosus obtinebit. Hoc speramus de Serenissimi Regis benignitate, ingenij magnitudine, morum honestate, iudicijque maturitate, et prudentia: quæ nisi error semel imbutus obscuret, et peruertat, facile poterit Rex veritatem apertam potius agnoscere, quam impugnare, sicut impij hæretici peccantes in Spiritum Sanctum, facere solent. Sciat etiam Serenissimus Rex, quod nullus poterit habere Deum Patrem, qui non vult agnoscere Catholicam Ecclesiam, vt matrem, quæ est columna, et firmamentum veritatis, et extra quam nullus saluari potest, sicut in generali diluuio nullus extra illam arcam mortem euadere potuit.

Finis Exhortationis.

JAN 28 1960